AZ.
III

LVI.
C.
22.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVI
C
22
NAPOLI

CÆSAREA LEGATIO,

QUAM

Mandante Auguſtiſſimo Rom: IMPERATORE

LEOPOLDO I.

Ad Portam Ottomanicam ſuſcepit, perfecitq;

EXCELLENTISSIMVS DOMINVS, DOMINVS

WALTERUS S.R.I. COMES DE LESLIE,

Dominus Pettovij, & Neoſtadij ad Mettoviam: Sac: Cæſ: Majeſtatis à Conſilijs intimis, & Aulæ Bellicis, Campi Mareſchallus, & Confiniorum Sclavoniæ, & Petriniæ Generalis, Aurei Velleris Eques.

Succinctâ narratione expoſita,

Atque

ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO

JACOBO S.R.I. COMITI DE LESLIE,

Domino Pettovij, & Neoſtadij ad Mettoviam: Sac: Cæſ: Majeſtatis Camerario, & Pedeſtris Regiminis Colonello, Excellentiſſimi Oratoris Nepoti

In perennem Laudatiſſimi Patrui memoriam dicata

A R. P. P. T. S. J. itineris Comite, & Excellentiſſimi Oratoris Capellano.

Cum facultate Superiorum.


Viennæ Auſtriæ, Typis Matthæi Coſmerovij, Sac: Cæſ: Majeſt: Aulæ Typographi, Anno Domini 1668.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III - NAPOLI

Domus prof. Nap. Soc. Jesu Nap.



Gualterus S.R.I. Comes de Leslie Cæsareus ad
Portam Ottomanicam Orator.



JLLVSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

JACOBO,

Sacri Romani Imperij

COMITI DE LESLIE,

DominoPettouij& Neoſtadij ad Mettoviam Sac. Cæſ. Majeſt. Camerario, & Pedeſtris Regiminis, COLONELLO, &c.

Felicitatem.

NOn panegyrim Illuſtriſſimæ Familiæ Tuæ, ejusque virtutum & encomiorum coronam, quâ non uni regno Scotiæ, verùm orbi uni-

verſo pridem illuxit itinerario iſto complecti connitor Illuſtriſſime Domine Comes. Anguſta nimium ad hanc mihi ſupellex foret. In condignam ejus laudem deſudarunt liberioribus, & publicis non calamis, ſed typis; non foliis, ſed voluminibus cum Florimundo Raymundo Cauſinus, Sanderus, Georgius Buchananus & complures alij; non in Ioannis Leſlei Roſienſis Epiſcopi ſolius conſtantem in Reginam Mariam ad extremum vitæ fidelitatem effuſi, verùm in totius Nobilis proſapiæ raram comendationē ſæpè procurrentes. Scriptio-

ptionis meæ ſcopus fuit pro debito meo, & candidi affectûs obligatione mortuum eum Tibi hisce lineis, hoc eſt, genuinis lineamentis ob oculos reddere, quem vivum ſemper in pectore, nunquam intermoriturum in animo, hæreditariarum virtutum expreſſione oſſibus ipſis medullitùs inſculptum geris. O qualem virum quantumque! Illum profectò quem Orientis, & Occidentis ſumma Imperia nuper ſuſpexerunt; quem in togâ Cæſares ab arcanis Conſiliarium; in Sago campi-Mareſchallum, Præſidiorumque regni Sclavoniæ, &

 an-

annexarum partium Generalem delegerunt: Virum Vellere dignum aureo: dignum qui authoritate, & regia planè magnificentiâ Imperatorum firmaret pacta, ſtabiliret pacem, vota adunaret: Compendio dicam: Virum proſapiâ Tibi congenerem, agnomine parem, virtute & ſanguine domeſticum Illuſtriſſimum Walterum Sac. Rom. Imperij Comitem de Leſlie, Patruum tuum memoriâ omnis poſteritatis celebrandum Heroëm Excellentiſſimum.

Et quânam id ratione conficiam? Succinctâ nimirum relatione

tione itineris Byzantini. Complectitur hæc veram, & à condignis tanto Oratori virtutibus abſolutam, atque ad veſtri nominis perennem gloriam ſæcula perduraturam heroæ vitæ rationem: opportunam, quæ curſum vitæ Tibi poſthac dirigat; quæ doceat animi ſenſa quo paſſu figere, & firmare; quantùmq́; nexus Zonæ tuæ gentilitiæ, ad Dei, Cæſaris, ſanguinisq́; tui majorem gloriam laxari, aut ſtringi, virtute & prudentiâ, Arte & Marte valeat, ac debeat.

Fidem ille quã ſemel, inde cœlo debitã à Catholicis parentib9,

quod mirandũ fuerat inter medios à vera Religione deviantis Patriæ errores editus altè animo imbiberat; hinc humano, eoq; militari ſacramento obſtrictus Sereniſſimæ Domui Auſtriacæ ſpoponderat; inviolatam Deo & Cæſari ſervavit ſemper. Nunquam vitæ, nunquam ſanguini pepercit, quò eandem utrique intaminatam ſervaret. Fidelitas, & ſyncerus in utrumq; affectus prodigum ſui, fortunarumque planè fecerunt: dum omnia unde profluxerant gratiarum flumina in ſuos fontes refluere vellet, & ſatageret.

Or-

Orthodoxæ myſteria Religionis, atq; imprimis Euchariſtici Numinis Májeſtatem ita hoc præſertim itinere cupidiſſimè complexus fuit; ut identidem in ſolatium animæ vitæ panem uſurpando veneratus Illuſtriſſimæ toti Legationis Societati palmam præripuerit: Quippe à die denominationis ſuæ in Oratorem Cæſareum ad diem quâ tanti nominis claritatem poſuit, quinquies; & totidem vicibus cùm redux graviùs decumberet eâ dape cæleſti eſt refectus. Sacrum Conſcientiæ tribunal cum ea devotionis teneritudine adibat;

ut ſemel iterumq́, inter lachrymas contriti cordis, conſcientiæ arbitri religioſas manus iteratò exoſcularetur: quod equidem in viro militari, dignitate eminenti, annis maturo, officiorum primi nominis Excellentiſſimo dignum accuratâ obſervatione factum cenſeri debuit; dignum ad imitationem ſanguinis nobilioris ad ſeram poſteritatem commendari. Cùm bimeſtri ante obitum ad divinæ voluntatis conformitatem à Confeſſario animaretur; fixis in Patrem oculis, & cancellatis in affectum teneriorem manibus, illud repo-

ſuit,

ſuit, Deo vivere, & mori deſidero. *Nempe hoc illud eſt quod Mediolanenſis Epiſcopus moriens intendebat, cùm vitæ inducias enixiùs alij pro illo depoſcerent:* Non ſic vixi, ut me pudeat inter vivos vivere: ſed nec mori timeo, quia bonum dominum habemus. *Hoc erat illud profectò, quod communi inter epulas adagio uſurpabat Comes Leſleus.* Vivere diu ſanitate comite exopto: *certè ſciens quòd ſanus vivat, qui mori non timet; diu vivat, qui Deo conjunctus moritur.*

Congenerem Religioni Pietatem

tem Illuſtriſſima ſpectavit Legatio, & coluit; ſpectarunt Judæi, & Mahometani, & obſtupuerunt. In Sacris privatis, in decantatis ſingulis flexo ſemper poplite, divinis intentus, aut ex corona Mariana, aut in pio precum libello deliciabatur: Quandoque antemeridiano non ſatur devotionum exercitio, ſub occaſum ſolis, in veſperarum pſalmodiâ, aut Lauretanæ Matris encomiorum concentu, non abſimili corporis ſitu, cujus animi in Deum, ac divina exiſteret palàm conteſtabatur. Non exaggero comem, & humanam

nam

nam erga pares affabilitatem, erga majores obſervantiam, erga inferiores paternam curam; non fidem conjugalem, quâ cæterarum ſexûs mollioris, non ſolùm alloquium, ſed & conſpectum in decurſu toto itineris devitabat.

Quid virtutum eximia decora reliqua inſequor? Num in oblivionem ire poterunt ornamenta Munificentiæ, & Magnificentiæ Patrui tui Illuſtriſſime Comes, quibus omnes, abſit verbo invidia, ad Portam Ottomannicam aliquando Legatos ſupergreſſus eſt, ſive iſthîc

di-

dignitatem Oratoris conſideres, ſive Societatis aſſumptæ Illuſtriſſimos Collegas; ſive Legationis ordinem & apparatum? Vivunt etiamnum tot, tantique Barones, & Comites, Marchiones, & Duces à Sanguine & nominis gloria Europæ notiſſimi, Leopoldinæ nuper Legationis pars maxima, & uni huic Oratori ſecunda: Teſtis Adrianopolis, quæ Sultani Mehemet Imperatoris ſui voce pronunciaverat. In vitâ noſtra tam ſplendidam, & magnificam Legationem non conſpeximus. *Enimverò tot aderant*

rant in comitatu propemodum Oratores, quot primi nominis pompæ comites, qui ſplendore aut dignitate dubiam Oratoris majeſtatem reddidiſſent, niſi ipſe meridiani ſolis inſtar cætera ſidera totâ corporis, animique compoſitione auctoritateque anteiviſſet. Non excedam prologuij limites; neque in veſtibulo librum contexam encomiorum Excellentiſſimi Patrui Comes Illuſtriſſime. Succinctam hanc Itinerarij, ſeu Diarij noſtri methodum tuo dicatam nomini, tuo debitam obſequio, tuo obſequentem affectui,

ſereno

ſereno quo ſoles vultu excipe. Interitura nequaquam ejus memoria evaneſcet, ſi penes Te Tuosque conſervabitur. Nuda eſt, & absque fuco narratio: ita veritas veſtiri amat. Precibus multorum extorta, nihil prius habuit, quam ſe impendere Veritati, & favere votis Excellentiſſimum tuum Patruum amantium. Dabam Viennæ Auſtriæ. Cal. Junij 1668.

Honori Tuo

deditiſſimus

P.T.

PARS

PARS I.

Orator Cæſareus Viennâ diſcedit.

DEcreverat Majeſtas Cæſarea Auguſtiſſimi LEOPOLDI Primi Legationem ad Portam Ottomanicam: ut initum â Majoribus cum ejus Imperij Sultano fœdus, & per nuperos motus nonnihil concuſſum, bono Reipublicæ Chriſtianæ repararet. Placuit ſumptuoſiore cum apparatu expeditionem ſuſceptam exequi: quòd initia regnantium utrinque, & maximè abhinc ſummarum rerum expectatio ſuaderent potentiam domeſticam auctoritate prætensâ foris comprobare. Delectus in arduam hanc juxtà, ac illuſtrem provinciam Orator fuit Excellentiſſimus Comes Gualterus De Leslie: Heros domi, militiæque clarus: fide in Sereniſſimam Domum Auſtriacam, ac meritis in Rem-publicam Orthodoxam eximius: Sapientiâ &

agendi dexteritate præſtans: animi quà magnitudine, quà in omnes liberalitate perſpectiſſimus. Hic obeundi muneris inſtantem neceſſitatem Auguſtiſſimo ſibi nutu imperatam ubi intellexit, prius nihil agendum cenſuit, quàm tanto oneri auſpicium de cœlo precari, & ſecundos inde favores in cœpta feliciſſimè promovenda vocare. Quò itaque efficaciùs cauſæ magnitudini, votiſque populi Chriſtiani poſtea reſponderet, ineunte Majo in templo Domûs Profeſſæ Societatis Jesu reconciliato ſibi per Confeſſionem Deo, Euchariſticum panem in longi itineris ſolatium, ac robur operum ſuſcepit; multa per inflammata deſideria, & ardentiùs conceptas preces expeditioni opportuniſſima comprecatus.

Per idem tempus à Catholico Rege ex Hiſpania vellus aureum allatum fuerat, quo felicior Jaſone Cæſareus Orator, antequam profecturus ſolveret, fauſto omine vel exequutus grandia jam intelligeretur, vel futuri eventûs jndicia caperet in portu. Ad ſuſcipienda Burgundici Ordinis inſignia pridie Nonas Maij, modo, quem adſcribimus, proceſſum fuit.

Horâ, ante meridiem decimâ in penitiore Cæſareæ aulæ ſacrario ad ſolemnitatem Viri Principes convenerant. Aderant & regalis Sodalitij conſcripti Proceres aureo per ordinem

nem vellere inſigniti, Ara pro tempore ad celebritatem comparata ab aperto Miſſali Evangelium, quod eo die prælegebatur, exhibebat. Ex adverſo inſtrata menſa deferebat vellus adornando Equiti præparatum. Tùm Cæſarem à conclavi adventantem longo ordine comitata nobilior aula præivit. Mareſchallus Henricus Wilhelmus S.R.I. Comes à Stahrnberg Auguſto nudatum de more enſem præferens Cæſaris lateri, mox aſſidentis à throno eminenti, & baſilicè inſtrato, adſtitit. Ut acquieverat Imperator, loquendi primas poteſtate factâ occupavit aulæ Cæſareæ Secretarius Joannes Chriſtophorus Jung, nonnulla ex mente Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis in commendationem meritorum abſentis tùm Excellentiſſimi Comitis Leslei meditatò præfatus. Exinde juſſu Cæſaris bulla aurea Burgundico loquens idiomate, creandi equitis facultatem conferens, prælecta eſt. Inde ſupremus aulæ Præfectus flexo poplite mandata Imperatoria accepit, egreſſusquè loco, Candidatum foris opperientem convenit, Regalium deſignationum commonuit, ac de officiis, obſequijsque Candidati acceptâ fide certior reſponſa retulit, atq; introductum Auguſtiſſimo cœtui intulit. Proximior Imperatoriæ Majeſtati factus Lesleus flexo poplite ſpopondit, ſer-

vaturum ſe, quæ ſibi prælegenda accepiſſet. Tùm altari admotus de genibus, præeunte Secretario in leges Ordinis digitis Evangelio ſuperimpoſitis juravit. Concepto juramento ad Sacræ Cæſareæ Majeſtatis pedes iterum provolutus, brevibus, quibus interrogabatur, quæſtionibus reſpondit: tùm enſe, quem aulæ Mareſchallus antè detulerat, trinâ ſuper humerum commonitione tactus ab Auguſto, ſimul ab eodem Eques aurei velleris renunciatus, ac ſubinde in teſſeram obtentæ dignitatis uſitato ejus Ordinis monili, collo, humeriſque injecto exornatus; ac tandem ut Collega per ſolitum amplexum amanter conſalutatus eſt. Pari illicò benevolentiæ ſignificatione à ſodalitio reliquo effuſo obviam honoratus fuit. Aderant celebritati pariter torquati viri Principes: Wenceslaus Dux Saganenſis. S. R.I. Princeps à Lobkoviz aulæ Cæſareæ ſupremus Præfectus.&c. Joannes Weichardus Dux Münſterbergenſis S. R. I. Princeps ab Averſperg &c. Don Hannibal Mantuæ Marchio S. R. I. Princeps Gonzaga &c. Joannes S. R. I. Comes de Rothall &c. Joannes Maximilianus S. R. I. Comes a Lamberg, Camerarius aulæ ſupremus &c. Georgius Ludovicus S. R. J. Theſaurarius, & Comes à Sinzendorff Præſes Cameræ aulicæ.

Poſtero die annuente Cæſare legatio univerſa videndam ſe in area aulæ Imperatoriæ ſtitit. Hanc, ſeu pompam apparatuum ſpectaverit, ſeu dignitatem profecturorum, quisque pro merito cenſuit, dignam fuiſſe ſuâ expectatione, dignam LEOPOLDI Cæſaris Majeſtate, dignam Imperij Chriſtiani exiſtimatione, auctoritateque. Tota longo Ordine Urbi ad ſpectaculum effuſæ, tota Cæſari, dexteram in gratiæ pignus offerenti, & pari quà humanitate, quá affectu benè precanti ſe præſentavit. Binos è Societate JESU Sacerdotes voluntate Cæſareâ, & voto ſuo Orator in ſocios itineris, ac ſpiritualis ſubſidii adminiſtros ſibi junxerat: hos quoque talari cæruleâ duplici Orientalium in morem Presbyterorum indutos, unàque præſentatos bono omine proficiſci hinc Cæſar, hinc Auguſta Vidua Eleonora jubebant.

*S*ed & decuit eodem cum apparatu, quo ſe ſuo in terris Monarchæ præſentaverat, etjam Regi Regum DEO legationem ſiſti. Itaque ante profectionis diem in æde ſacra ad tubas campeſtres, per concentus muſicos votivum de glorioſa Deipara pro felici expeditione operoſæ legationis ad aras Sacrificium ſuſceptum fuit decimâ Maij. Addidit Orator votum Cellenſi Virgini, ejus poſtea iterum

devenerandæ, ſi ipſius, quod optabat, & ſperabat interventu à Deo impetraretur optatus expeditioni eventus.

Interfuêre divinis cum Excellentiſſimo Legato præter copioſam multitudinem unà profecturorum, magnâ item Nobilitatis, magna populi ex utroque ſexu frequentia.

Alterâ feriâ Pentecoſtes ſub tertiam à meridie ſolutum è portu eſt, ſereniſſimo cœlo, aſpirante leniter Aquilone, inſpectante urbe penè univerſa in feneſtras, in tecta, in mœnia, in littus ad pontem Danubij effuſa. Inſederant ripam ad marginem ſublicij pontis naves ſex & triginta; panſis omnes, quà velis, quà vexillis. Earum amœnitatem picturarum elegantia, & interludens croceo identidem color albus, Auſtriacorum emblemma gentilitiorum, commendabat; per-jucundum planè effuſæ multitudini ſpectaculum. Ab iſtis Cæſaris Auguſti teſſeræ: ab illis Excellentiſſimi Oratoris gentilitia reſplendebant. Navium una, quæ Confeſſarium Oratoris devehebat, cæruleo & albo allucebat. Huic inerant præter prædicto Patri adjunctum comitem itineris de Societate, tres alij; poſtea cùm Conſtantinopolim deventum eſſet, inde per Perſidem in Indiam, & Chinas proferendi Evangelij causâ perrecturi.

Con-

Conſcenſis navibus Vale initio acclamari, & conclamari cœpit; præſertim cum ante omnes ad navigium magnitudine, & decoro nobilius valedicturi appropinquaſſent Celſisſimi Principes Carolus à Liechtenſtein, & Ferdinandus à Dietrichſtein, cum Illuſtriſſimo Comite Friderico à Trauttmansdorff Excellentiſſimi Oratoris Affines. Mox feſtivum celeuſma inſonuêre frequentes tubæ, & tympana, viſique alij lacrymis compati, futurorum timidè ominoſi; alij diſceſſum fidiſſimorum ſolicitè conqueri; alij in fauſtas apprecationes ancipiti in luctum, aut plauſum affectu provocari. Peractâ ſalutatione ad ſignum Crucis ſoluta navigia, & remigari cœptum eſt, & claſſis ſecundo flumine uno curſu in Fiſchament defluxit. Ne qua inter navigandum ſuboriretur confuſio, ſuus cuique navigio locus fuit. Præibat celox vadorum exploratrix: hanc ſequebatur Commiſſarius Cæſareus D. Hilarius Feichtinger: tertias tenebat Excellentiſſimus Legatus cum promocondo: tùm Patres è Societate & grandiores binæ Nobiliorum, qui honoris causâ ſe itineri aſſociaverant; reliquum, qui ab obſequijs erant, claudebant agmen, cum annonâ & impedimentis.

Feriâ tertiâ Pentecoſtes heſterno in littore ad auroræ exortum tubæ clangor evoca-

vit famulitium ad divina audienda; reliqui communi ſacrorum præcepto ſatisfecêre mediâ ſextâ. Tùm ſoluti funes, & auxiliaribus quà remis, quà ſecundo flumine innubi cælo in Hungariam delata Poſonium claſſis tenuit. Primus qui lembo ad defluentes applicuit Stephanus Comes Zichy junior, nomine regnicolarum Orator hoſpites ſalutavit. Interea, dum littus raditur Poſonienſis ſuburbij, intonuêre ex arce, & Urbe pari numero grandiores ſæpiùs machinæ, quot ſubjectum flumen deferre navigia conſpiciebatur. Durante amico fragore, ſucceſſit Comes Nicolaus Palſfi obviam, & Ablegati Civitatis expectatam legationem rarâ benevolentiæ ſignificatione venerati ſunt. Hos delectis cum Proceribus conſecutus Prorex Franciſcus Veſſeleni nihil paſſus eſt deſiderari, quod ſuam & Oratoris Cæſarei perſonam condeceret. Equis magnificè phaleratis, & carpentis decem, Legatum, & Legationis nobiliorem partem devexit in ſuburbanum, quo omnes exquiſitâ honorum, & conjunctiſſimi animi ſignificatione recreatos in poſterum diem â primis fluvij moleſtijs detinuit.

Sexto Calendas Junij repetitum fuit flumen. More in poſterum continuando cœptum hîc manè ad Auroræ exortum, uti & poſtea

poſtea veſpere poſt occaſum ſolis, primò tympanis, deinde octonis tubis ter reſonantibus, flexo poplite ab omnibus comprecari, & in proſperum iter rogari Deus, ac ſecundùm illum Deipara invocari. Seorſim à communi prece conſtituto prætereà ſigno in dies ſingulos expediti à negotioſa cura navium & impedimentorum ad divina audienda evocabantur. Hæc ſuperûm demerendorum cura, cùm decurſu locorum conſtanter frequentaretur, dedit ipſis occaſionem Turcis ſuſpiciendæ, comprobandæque Catholicorum pietatis, à qua remotiores longè diſcedere dicebant eos, quos paſſim ſibi permixtos viderent heterodoxos. Ergo hac ipſa die ſub auroram datô ſignô ad comprecationem promotum eſt iter, & cælo licet pluvio diſceſſum in Inſulam Schitt. Sub meridiem iſthìc Sacræ Miſſæ Sacrificio data opera, cumque aliud obſervationis peregrinæ nondum ſuppeteret, illud pietatis domeſticæ pulcherrimum documentum extitit dignum recordatione annalium, & digniùs profanâ aliâ quâvis curioſitate. Diſtractis per ſubitas occupationes adoleſcentibus, qui Sacerdoti ad aras facturo aſſiſterent, ad exequendum Angelicum miniſterium bini ut à ſanguine, ita â pietate clariſſimi illicò procurrerunt: Henricus Arundelius alter; alter

Joannes Joſephus ab Herberſtein: ille ab Anglia Dux Nortfolciæ: hic Melitenſis Eques, & præſidij Criſienſis Capitaneus: Utiq; ab Angelis impoſterum ex merito ſuo chariùs complectendi, quòd ſe penitiùs eorum conſuetudini per officium iſtud Angelicum admiſcuerint.

Vigeſimâ octavâ Maij attulit à Turcia curſor, legatum Sultani ante biduum adveniſſe Strigonium, & opperiri indies commutationem conſuetam. Igitur, quod animo priùs ſederat, mutato conſilio Jaurinum, Auſtriæ clypeum præterire placuit, & occurrere conſtitutò celeriùs ex adverſo properanti; Proinde per internuntium Matthiam Caſtner virum nobilem actæ gratiæ ſunt Vicegenerali Comiti Joanni Eſterhaſio pro obſequijs, quæ multiplicia Jaurinum adventanti Legato, ac ſocijs largus obtulerat.

A littore tamen proſpectantes Javarinenſes ſalutare licuit. Pars Eccleſiaſtica præeunte loci Epiſcopo benedictione cœptum iter proſequebatur: Pars militaris in equitem ac peditem pulchro ordine explicata, quà manualibus, quà curulibus machinis juſſit præterfluentes ſalvere ter, & benè pergere. Mox ad Sancti Pauli ſpatioſiorem jam Danubium legatio appulit.

Quarto Calendas Junij ſub horam quin-

tam monente claſſico Comaromium claſſis abijt, ultimum Chriſtiani nominis Orientem verſus propugnaculum. Occurrêre adverſo flumine obviam à præſidij Capitaneo quatuordecim Schaickæ (genus ſcapharum militarium) armis, & vexillis diverſicoloribus inſtructiſſimæ; & celeri remigio latera appropinquantium cinxêre utrinque. Dum paratur excenſio, tormentis muralibus de mœnibus ſalvere juſſi novi hoſpites, nec minori fragore Schaikæ ab utroque latere conclamantes amicos plauſus dederunt. Factâ exſcenſione, earum partium Generalis Comes Souches, Cæſareum Oratorem officioſiſſimè excepit, atque ad interiora præſidij per vias multo milite infeſſas deduxit. Plurimis deinde lætitiæ ſignis ad aras, ac poſtea inter epulas, ad repetitam machinarum militarium diſploſionem ea dies celebrata decurrerat. Tum præſidij munimenta & aggeres; valla, & foſſæ; cortinæ, & repagula per otium luſtrata. Poſt hæc ſub primam noctis vigiliam ſpectati ignes ludicri, & pyria artificia, atque ab eorum intermicantibus ſtellulis lecta Auguſti LEOPOLDI & Sereniſſimæ Infantis Hiſpaniarum *Margaritæ* nomina: ſingula poſt varios concertantium ſub aquis, & per aëra ignes miſſiles, in feram noctem gratiam aſpectantium, & plauſus meritos retulerunt. Pe-

Penultimâ Maij poſt peracta divina in arcis ſacra æde, & decantatas ad concentus muſicos Deiparæ laudes, ſoluta navium ſtatio jam in hoſticum migrabat. Bono hìc omine & ſolicitudine Patrum Societatis, ne quis adverſus Deo, ac cælo palàm velificaret cum probis, futurus aliquando, ut fieri amat, ob improbitatem ſuam iſtorum exitio, tanquam reliquus periculorum fomes expulſus eſt à comitatu. Homo is erat ſuſpectæ fidei, atque à Necromantia, ac præſtigijs infamis, ſeſeque (ut tales aſſolent) profecturis aſſociaverat malarum artium, certè bonarum nequaquam experiundarum causâ. Hunc quòd aliàs incurabili morbo animi languere videretur, deteriorem ſentinâ navali peſtem, exturbare omnino placuit: atque ita ſecundiore jam ampliùs futurorum ſpe inter à tergo incumbentes muralium machinarum fremitus ad confinia ventum eſt, quibus commutandi utrinque Oratoris deſignata area tenebatur.

Adfuit ex compoſito, nec impiger Orator Turcicus, Mehemet Baſſa; quem deſtinato loco appropinquantem excenſione factâ, Cæſareus & ipſe convenit. Ternæ arbores in aperto campo, latè deſuper patente cælo proſtabant: eas in terminum ultrò, citroque commutandorum, ac poſtea ſuas quemque in partes dedu-

cen-

cendorum legatorum delegerant deputati utrinque ab Imperijs Commiſſarij. A Romani Cæſaris aulâ commiſſum id negotium fuit Comiti Souches, & Feichtingero. A Porta verò Ottomanica Baſſæ *Albæ* Regalis, & Bego *Strigonienſi*. Cohortes utrinque, pharetris inde & lanceis, hinc ſclopis & haſtis, cæteriſque, ad omnem Martis aleam ſuccinctæ armis circumſtabant, non ampliùs diſſitæ, quin è veſtigio conſerere póſſent. Quingenti ab utroque latere ad mutuum conſpectum immobiles; minùs animis, quám præſenti rerum occaſione in mutua conſideratione defixi hærebant. Oratores ambo inter manus Commiſſariorum deducebantur, in adverſa mutuò veſtigia intenti, & quò propinquiores fiebant medio ſtipiti; ſupremam metam deſignanti, eò accuratiùs paſſus ſingulos ex adverſo obſervabant, ne alteruter alterius Principi; aut officio ſuo, quâ ratione póſſet, præjudicaret. Juncti conſertis dexteris, & factâ conſalutatione in alienam uterque poteſtatem conceſſerunt, cõcinente interea inde equidem pro gentis uſu vario cymbalorum tibiarúmque concentu, hinc autem tubas ac tympana comitantibus interludijs ſcloporum. Mox Turcæ terreſtri itinere Auſtriam versùs: at Leſlæus ſecundo Iſtro à conferto militum comitatu di-

ſtra-

ſtracti cœptum iter proſequuti ſunt. Imperatorij Strigonium ad veſperum plus triginta tormentis muralibus ab arce ſalutati tenuerunt: fuitque in promptu juſſu primi Purpuratorum Aga Janizzarorum, cum ducentis armatis, deductor & cuſtos impoſterum futurus.

Poſtero manè ſub tentorio primùm in Turcia Deo per incruentam hoſtiam litatum fuit. Sub finem ſacrorum Begus copioſâ manu militum ſtipatus deſcendit, ſalutationis officia erga Cæſareum Oratorem exequuturus: Viciſſim per Comitem de Herberſtein, & Baronem à Fünffkirchen muneribus in hunc finem deputatîs honoratus. Equi generoſi præſto fuêre ejus nutu, quo expeditior in editum præſidij collem aſcenderetur. Nec ultra meridiem mora fuit: naves â prandio inſeſſæ Vaciam non ſine periculo binarum impactarum in ſolutum pontem, ſtrenuè tamen eluctatarum defluxerunt. Recedentes Strigonio arx de propugnaculis; & ex oppoſito munimentum Barckan, tormenta alternatim non pauca intonans claſſem proſequebatur. Barckan locus eſt à multis nominibus rei Chriſtianæ infelix: potiſſimùm à conflictu poſtremo, quô ante biennium res ibi Pannoniæ non leviter attritæ. Vacia ad lævam dimiſſa eſt: locus caſtro per-opportunus ſedes

des quondam Epiſcopalis; nunc ruderibus propior: deperdita anno milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo ſeptimo. Abhinc nonâ matutinâ veterem Budam; à meridie verò novam, Regiam quondam coronæ Hungaricæ, legatio tenuit. Ibi inductus in tentoria regia Orator, in hunc uſum ſumptuosè apparata per Kehajam aulæ Proto-Vezirij præfectum in hoc homine Virum ab humanitate & officijs commendari digniſſimum reperit. Adfuêre ſubinde primarij gentis ſalutandi gratiâ, & firmatam ad obſequia voluntatem ab urbis Commendante Vezirio deportabant. Stabant ſecundùm littus Eſpahiorum, Janizzarorumque non pauciores quinque millibus, inſtructi armis de more diſſimilibus; at ſplendidis, ijdemque paſſibus propè viginti à tentorio Legati præteribant, deducturi ad mœnia: mixtum interea carmen conſonantibus tympanis, cymbalis, alijsque militiæ & plauſui inſtrumentis apud barbaros decretis. Interea tantus irruit tormentorum fragor ab urbe, & arce; ut credi poſſet non amicum, ſed hoſtem in pomœria irrupiſſe. Ante delectum militiæ, ſeu prætorianam cohortem morio clavâ immani armatus, urſinâ in totum contectus pelle choragum agebat, turcico idiomate Omnipotenti laudes, Excellentiſſimo verò hoſpiti,

ſuo-

ſuoque Sultano fauſta, & proſpera quæq; apprecabatur. Suam tamen de more inter plauſus & gaudia partem quæſivit luctus, & inter jocos ſeria mors ſparſit. Ex comitatu Oratoris Ludovicus Belga artificio pictor, quòd contractas paucis diebus antè febres ſalubri balneo Danubij eluere vellet; aut, ut crediderunt plerique, mentis ab æſtûs febrilis impotentiâ calore jactatus, nocte intempeſtâ ad flumen dilapſus frigidam in aqua mortem hauſit.

Diem inſequentem quies abſumpſit. Humanitate certare, & reciprocâ benevolentiâ ab omni parte tentatum eſt. Pro novellis frugibus, ac floribus ex aula Vezirij ſubmiſſis dulciaria Genuenſium, pretio, & raritate plurimùm à Turcis commendata Orator repoſuit. Invitati ad thermas toto orbe laudatiſſimas plerique Nobilium ſeu voluptatis, ſeu memoriæ causâ tepentes has Budenſium delicias experiri voluerunt: Non tamen æquè omnibus profuit curioſitas: unus certè podagricis affectus paſſionibus immitem in ſe aquarum mineralium æſtum fuiſſe perſenſit: quippe eo calore ſic humores accendit omnes; ut pedum, manuumque uſu eveſtigio deſtitutus, Belgradum uſque lecto affigi haberet neceſſe.

Tertiâ Junij eò, quô Viennæ ſuperbierat apparatu, Budæ quoque in Vezirij conſpe-

ſpectum venit legatio, ſi labara demas, & carpenta ſupremo actui deſtinata. Selectiſſimorum equorum ſexaginta ſubmiſit Prorex Turcicus; quorum ſubſidio bini & bini clivum, & in clivo urbem ſubiuêre hoſpites; tot undique ſpectatores nacti; quot patens circum regio planè incolas ferre videretur. Aulæ area exiguæ capacitatis eſt; vix omnes ceperat, qui ſubibant: gradus in aſcenſum laxos, ſed ligneos exhibet, conformes reliquæ nunc ædificij ſtructuræ. Proſpectus huic ad urbis forum vix ullus; ad Danubium verò, & latè effuſum orientem, ac Peſthum ex adverſo ſitam nobiliſſimus, ac dignus tam famosâ regiâ. Oratori Cæſareo ſedile holoſerico inſtratum patuit, ex quo familiare, ac ſuccinctum illi per interpretem cum Vezirio colloquium fuit; Sub initium ſermonis porrectæ in argentea phiala, Auguſti Cæſaris, & Principis Wenceſlai de Lobkouiz aulæ Imperatoriæ Præfecti epiſtolæ; exinde nomina primæ, quæ cum Oratore aderat, nobilitatis ſingillatim recitata: ſingulis poſtea paludamenta diviſa; & in cæteros panni volumina quadraginta diſtributa. Ubi finierat ſalutatio reditum ad ſuburbana tentoria eâ pompâ & apparatu, quîbus urbem & aulam ante fuerant ingreſſi.

Interea dum ſtudia & mores feræ gentis

Orator, comitesque circumſpiciunt, obſervantque jam ipſo à limine crudam methodum Imperij conſervandi, proferendique: dum colloquuntur de ſummo,&abſoluto dominatûs hujus in univerſos ſibi ſubditos faſtigio; & reflexâ cogitatione domeſticam Chriſtianorum Principum moderationem conferunt, ſubdidit colloquentibus Orator: Ex animo gaudeo & nunquam potero Deo dignas gratias rependere ob beneficia in me immeritum collata; quòd & progenitus ſim ex natione ab hac barbara differente; & quòd ad fidem Catholicam, in qua ut confido, certus ſalvabor, ſim tam admirabili ratione inductus. *At verò* Turcæ quos honoratiores ad conveſcendum Legatus exciverat, impetraveratque à Vezirio, more gentis in caduca duntaxat reflexæ, non alia animo metiebantur, quàm quæ oculis ac ſenſibus percepiſſent. *Suſpiciebant* ſupellectilis apud Oratorem aureæ, argenteæque pompam: veſtium metallo, & gemmis diſtinctarum multiplicem apparatum: ſymphoniacos, quà voce, quà plectris ad amœnitatem, conſpirantes; dignam equidem Chriſtiano heröe, & Imperatorio feciali magnificentiam; ſed quæ attonitos tantùm redderet barbaros; ſimul tamen aggreſte, atque ad arma educatum ingenium nihilo mitiùs cicura-

curaret; minus tabidos livore oculos à cupiditate alieni, quâ æternùm languent exſolveret. Erant tamen, qui urbanitate, & gratiâ exterorum capti paria humanitatis indicia tentare vellent, ſimularentque ſaltem; ſi tamen metus ſuperioris potentiæ, & intractabilis ac ferox animus durare in longum cum moderatione aliquando poſſet.

Pridie Nonas Junij poſtquam feſtum Theophoriæ per divina, quantùm fas erat, recoluiſſet claſſis per ſolutum ad Peſthum pontem promota eſt. Quatuordecim dierum iter emetiendum incumbebat, Belgradum uſque. Civitas hæc Taurunum aliàs, & Alba Græca, ad quam Savus à meridiè in Danubium confluit, in longum porrigitur: in acclivi colle dorſum explicat, obtinetque â ſitu loci, & defenſionis opportunitate primas in Servia. Nec tamen Serviæ Metropolis eſt: hæc enim Samandria fuit, etiamnum ſic dicta, ad oram Danubij ſita, nec Belgrado procul. Illã milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo Amurates ſubjugaverat, & ſæculo poſt Solymannus Taurunum; milleſimo videlicet quingenteſimo vigeſimo. Iſthuc à Buda profectos primum Hamſchebegum ſub noctis initia excepit. Caſtrum, cum ampla vicinia vaſtata anno milleſimo, ſexcenteſimo ſexageſimo tertio Comes

De Souches in cinerem redegit. Ibi aduſque inſequentis diei meridiem hæſêre naves ; & transacti hucuſque itineris per curſorem Majeſtati Cæſareæ relatio ſcriptò transmiſſa.

Quinta Junij per Ertſchyn in Adon, ſeu Tſchankurtaram profectum. Hîc locorum victricibus olim Auſtriæ ſignis pulſus Solymannus, tandem repreſsâ fugâ dixiſſe fertur. *Hîc à Carolo Quinto Auſtriaco ſecurus dego.* Exiſtimaverat enim, ſolutâ obſidione Viennenſi à tergo ſequacibus armis incumbere fugienti copias Imperatorias, atque poſt exercitum Ottomanicum jam plùs dimidio viribus, viriſque diminutum totum junctâ vi Imperium ſequi; ſanè profligando ex Europa illi tunc futurum, niſi tardaſſet.

Sextâ ex Tſchankurtaram in Baſcka à ſummo mane in quartam pomeridianam profecti appulerunt: In decurſu ſpectârant Pentole & Födwar. Septimâ in Tollnam: in Wajam octavâ navigatum. Nonâ ex Waja, ad meridiem campos Mohachz aſſecuti, è navigio, regionem latiſſimam proſpexêre, & Zetſchui arcem gentilitiam Illuſtriſſimorum Palffiorum. Mochacz oppidum eſt fatale Ungariæ à cladeLudovîciRegis ; de quo authores varia, & plurima ; ac præſertim Iſthuanſius libro octavo de rebus Ungaricis. Diſtat ſemi-

horâ

horâ locus pugnæ ab urbecula, veriùs pago, à qua campo nomen. Ab occaſu ſolis Quinque-eccleſias; ab oriente alterum Danubij latus; à meridie Draui oſtia, & Illyrici partem proſpicit, inque latiſſimam explicatur planitiem, nullis ſylvis, aut vepribus impeditam; quam tamen interſecat amnis, quem incolæ Caraſſum vocitant, adeo paluſtris & ſtagnans; ut diſcernere, eſto diligentiùs obſerves, nequeas in quam partem fluat aut refluat; arundinetis & carectis, profundoque limo impervius. Huc fugientem Ludovicum Regem caſus impulit: Obſcuritas noctis, & metus hoſtium inſequentiū cœnoſo vado explorando ſpatium haud conceſſerant: cæco igitur infortunio, quò caligo, & fortuna ferebat tranſire parantem, impeditioriſq; ripæ aggerem ſuperare conatum reflexæ habenæ, reſupinatusq; equus, in profundiorem lutulenti vorticis limum abſtulit: tùm prægravantium armorum pondus, & jumenti obluctatio penitùs oppreſſit, præſtantiſſimæ indolis & ingenij Principem. Cum Rege decem millia equitum, ac duodecim millia peditum, ſex item Epiſcopi & magnâ primæ nobilitatis pars barbaro hoſtium gladio occubuêre. Solymannus in ſignum memoratæ cladis aggeri, penes quem Caraſſus amnis in latiſſimè patentem paludem ſe inſinuat, ma-

pale, ſeu ſolarium ligneo, & tumultuario opere ſuggeſtum impoſuit, atque unde ſpectator pugnæ, inde & poſtea victoriæ dimenſor conſedit. Illud etiamnum à poſteris adiacentium incolarum agreſti manu conſervatur, pecoribus nunc magis, quàm hominibus ad fugiendos arcendosque ſolis æſtus accomodatum.

Mohaczio decimâ Junij ad ripam Vuilack applicitum: ibi fædus, ſed patriæ ſuperſtitionis, & gentilitatis barbaræ cultor improbus laniſta comparuit. Hic ſuæ pelli haſtulam, & cultros infixerat; vel ſtoliditatis ſuæ proterviam vanâ jactatione repræſentaturus, vel indigniſſimæ commiſerationis pretium ex lucro aſpectantium relaturus. Verùm accidit ut pro merito ſtulta ſævities contemptui potiùs, quàm laudi cederet apud prætemavigantes. Die ſequenti ad ruinas Erdeöd pernoctatum fuit, in quibus etiamnum Annunciatio Beatæ Virginis depicta viſitur. Hinc duodecimâ Junij in Valkovar deſcenſum, ibique in fluvio Walpo piſcatio copioſa facta eſt; A piſcatione reduces miſero ſpectaculo adnatare ſecundo Danubio cadaver humanum viderunt; quod tamen cujus eſſet, aut unde evolutum dignoſci haud potuit.

Spectata iſthîc atrocitas, & ſervile jugum fuit

fuit barbaræ jurisdictionis. Valkovarij Judex homo decrepitæ ætatis, ſive ſuâ, ſive ſuorum incuriâ, vel, ut nonnulli culpabant, ex vitio avaritiæ huic ætati cæteris decreſcentibus accreſcente, & muneribus ſolicitato, quasdam innatantium Danubio molas dimovere loco omiſerat. Quò factum ut exiguo quidem diſcrimine, aliquâ tamen moleſtiâ defluens claſſis afficeretur. Appulſus de gente Commiſſarius è veſtigio acciri ſenem, & cauſâ non diffuſiùs pertractatâ more patrio legatione inſpectante, impactis ſeveriſſimè pluribus in elatos per funem pedes baculis argui juſſit; fruſtrà condolentibus, qui canos, & imbecillitatem vetuli miſerebantur. Neque grandioris fortunæ viros hæc in ſubditos ſævities inhumana præterit: Unum è Proceribus Adrianopoli pari officiorum genere cultum fuiſſe conſtitit. Moris eſt in aula Sultani; ut cum Imperator in publicum prodit, ipſe miniſtros aulæ nutu capitis primùm conſalutet. Exinde Cziauſſ-Baſſa officiorum aulæ Præfectus, cæterorum nomine gratias agit, & exclamat vivat Imperator, Rex noſter &c. Hic cùm Adrianopoli Cæſar in caſtra ab urbe digredi conſtituiſſet oblitus officij, vel alijs intentus annuentem Principem conſuetâ vociferatione comitari neglexerat. Diſſimulavit tùm Impera-

rator, ſed ubi pervenit in caſtra Purpuratorum Præfecto incuriam hanc narravit. Iſte è veſtigio ad tentorium revolat, cippos afferri jubet, quibus pedes eorum qui vapulaturi ſunt inferuntur: Qui circumſtabant, munerum grandiorum Præfecti invicem contuebantur, quem è numero verbera ſubiturum, (neque enim alius in ſecreto conclavi plectendus tùm deſtinabatur) deſignaret triſtis apparatus. Comparatis omnibus Cziauſſ-Baſſa procumbere jubetur, atque exprobratione facti præmiſsâ obiter, immittere cippo talos: accepitq; in plantas ictus centenos aliquot baculorum, qui ad id, ſive ex uſu gentis, ſive ex imitatione faſcium Romanorum, præſto ſunt ſemper. Finitâ verberum tempeſtate nihilominùs ad pedes Proto-Vezirij Cziaus-Baſſa procubuit: chlamydem deoſculari, & pro benevolentiæ ſignificatione condignas gratias rependere conatus. At ille etiamnum furens dorſum obvertit precanti; & bipedum nequiſſime, inquit, majore curâ impoſterum officio fungaris; alioquin laqueus te manet, & ejectum in ſepes mandabo canibus devorandum. Omnia ſervili planè cum tolerantia deglutijt miſer; & die poſtero ambo in aula iterum præſentes ſuo uterque miniſterio advigilavit, tanquam horum nihil inter ipſos heri contigiſſet.

Sum-

Summo mane in feſto Sancti Antonij Paduani expediti remiges in Illock decurrerunt. Metropolis olim hæc erat Comitatûs Sirmienſis, & theatrum expeditionum militarium Beati Joannis Capiſtrani. Cathedralis eccleſiæ, in eaque memorabilis filij Regis Boſniæ ſepulchri, ac monaſterij annexi rudera, nonniſi vetuſtatem, & ruinas loquuntur. Magna circumquàque populi Chriſtiani in his regionibus olim frequentioris veſtigia viſuntur. Populus ipſe cultu Chriſtì fidem paſſim per agros profitetur, ſed partim errorum labe non unâ contaminatum, partim Sacerdotum defectu, ignorantiâ, & deſuetudine agendorum impeditum. Ipſi tamen ſi quos fortuitò illac divertere contingat, quos communi ſecum religioni adſcriptos putent, illicò convolant, & ex Chriſtianæ humanitatis ſuperſtite ſcintillâ, aut officia, quæ poſſunt, offerunt; aut ſi quibus, præſertim in favorem animæ indigent, rogant. Ad ſocios legationis Patres baptizandi infantes aliquot allati ſunt; ex ijsque unus, qui ſalutare lavacrum anno jam integro præſtolabatur; gente vel inſciâ, quid facto opus; vel anxiâ, ne fortè uſpiam in ritibus ſacris aberret. Alij ad expiandas conſcientias, alij ad participandam cæli dapem, alij ad negata diu divina recolenda confluxe-

runt. Unà cum fructu illis impenſo, ipſi â fide & unione Eccleſiæ abrupti, qui circumſtabant, fatebantur ingenuè humanâ majorem Baptiſmo Catholico ineſſe vim; quæ in ſummo ſubſidiorum humanorum defectu conſtanter animo gliſceret ad priſcos Divinitatis colendæ mores convolandi. Pulcherrimo exemplo Illuſtriſſimi quique legationis ſocij certatim noviter Chriſto regeneratos ſuſcepêre ut patrini, & piâ munificentiâ dimiſſos ſunt proſecuti.

Per id ſpatium Illok, & Kirevicium, ac Petro-Varadinum à priſca nominis gloria planè degener, ſuiſque à tumulis ſquallens navigantibus occurrit ſub quartam & quintamdecimam Junij. Digna omninò regio, fortiſſima quondam à ſitu & munitione, & par invictæ cuilibet Provinciæ, ſi etiamnum reviviſceret Petro-Varadinum.

Decimâ ſextâ ſub meridiem in Salankemen ventum eſt, urbem & arcem ſitu loci prænobilem, & ædificijs veteribus adhuc interbuſta ſuperbam. Tibiſcus iſthic Danubio jungitur. Poſt meridiem Reſidens ad Portam propediem renuntiandus Joannes Baptiſta Caſanova Mediolanenſis Belgrado ad Oratorem Cæſareum excurrit ſalutaturus, & collocuturus de ſingulis, quæ ad ingreſſum, & habita-

ſtationem Belgradi capiendam diſponebantur. Digreſſo illo conſecuta claſſis ad decimam ſeptimam Tauruni apparuit.

Jactis ibi anchoris, & caſtris Semlingano in littore ad urbis conſpectum poſitis, pari quo ex regia Budenſi campeſtrium machinarum vociferatione hoſpites honorati ſunt. Ut applicarent ad urbicum littus naves minoribus alijs, quas Schaickas ſupra diximus, per demiſſos funes adjutæ ſunt. Trahebatur claſſis pulcherrima à turcico milite in portum, dubiâ ſpecie; an ipſi plauderent de tot navium ſerie opulenta mox prædæ conceſſurâ; an lætarentur de appulſu tanti, & tam deſiderati fecialis. Plus quippe ubivis locorum, & timoris de proſequendo bello, & gaudij de pace firmanda compertum eſt, quàm animo quiſquam horum inexpertus concepiſſet. Nullum proinde genus honoris, reverentiæ & officij omittebatur, ad quod ſe minùs componeret barbara natio versùs adventantes, quamvis non ita pridem infenſiſſimos hoſtes. Ad ripam confluentis ingens hominum multitudo effundebatur, colles vicini & circumfuſi aggeres, & urbis confertim tecta omni ſpectantium conditione inſidebantur.

Cæterùm quod in corporibus fieri amat, ut nobiliora, fortioraque ad limites duntaxat

xat membra efferantur; idem magnæ huic gentium moli uſitatum. Confinia quippe eximijs ducibus, ac militum delectu fortiſſimo inſeſſa ſunt; interior res-publica, & in Ungaria caput Europei imperij Belgradum paucos è Janizzaris, pleroſque ex mechanicis artificibus milites tenet. Qui Legato ab urbe occurrerant duorum facilè millium numero extendebantur, ſed quos opificum tribus potiſſimùm conſtipaverant. Prima legio pelliones, fullonesque exhibuit, ac ſartores, rubris pannis amicta, altera exuvijs belluarum tecta, undecumque pelles à cicuribus, an feris animantibus coëgiſſet; laniones tertiam confecerant nodoſâ clavâ inſignes, meraſino induti, & à ſericeo fune pictum undique & undique, ac fibulis implicatum, ante ſe pro duce exercitûs arietem agentes. Nec modò Albæ Græcæ eâ pompâ obviam proceſsêre barbari, in alijs quoque, ut minoribus oppidis, ita inferiore etiam, ſed ſimili pompâ ſe præſentarunt. Sed & numerum bis mille militum non robuſta ætas, non viri duntaxat; quin etiam pueri & adoleſcentes, nec niſi ut plurimùm inermes & deferendis armis impares plerique exæquabant. Huic pugio ſolus, alteri haſta, annis & rubigine vincens Neſtorem; quibuſdam ſola framea, alijs pharetræ, & arcus absque ſagit-

gittis erant. Duodennes, & minores orphani, quorum progenitoribus prior annus ad RabbamPannoniæ fluvium fatale exitium attulerat, pileis Janizzarorum inſigniti, parentum vices cancellatis manibus adſtantes obibant: Hi numeroſi milites fruges modò conſumere nati, ſævitiam tamen à teneris imbibunt, & martiali ſenſim ſpiritu animantur, ut accenſeri re & officio poſtea poſſint nervo & robori militiæ Ottomanici imperij: Quod ipſum profectò tam forte & numeroſum non eſt, ut vanus rumor & fama, foris amplior, quàm domi, divendit. Totum in caſtris pro Sultano Adrianopoli poſtea excubavit, præſente Oratore Cæſareo, nec niſi á projecto imbellique animo, fortitudinique Chriſtianæ admodum diffidente æſtimari graviùs potuit.

Per ambages ad conſtitutam ſtationem deductos Caymicam, urbis caput, & Capigi-Baſſa, itemque Haſſam-Aga Magno Sultano à cubiculis, & à Primate Purpuratorum ad ſervitia Legati relictus, officioſiſſimè adventum gratulati, deduxêrunt ad conſtituta tentoria: ibi patrio more arabica incenſa, & calices inter ſermocinandum jucundi in orbem ſunt miſſi. Captivi à prælio Novodomenſi è varijs Auſtriacarum ditionum partibus complures exilium hîc ſuum, &

ſpem

ſpem libertatis deplorabant. Hos in digreſſu Turcarum , & circumſpectione urbis ſolari, ac redimere curæ fuit : quibus in præſens ſuccurrere opportunitas non poterat, ſpes in reditum certiùs promiſſa , & levamen animi in vadem conceſſum eſt. Profuit non ignobili matronæ captivitas. Domi ſuæ errores hetarodoxorum pertinaciter, nihil impetrantibus, qui benè conſulebant profeſſa , manum Dei vindicis interim dum Orator Cæſareus adveniret experta, unàque clementiam in ſe Numinis , ne omnino periret , agnoſcens , ultrò occurrit adventantibus , & ſuaue jugum fidei Orthodoxæ præ Ottomanicorum jugo vinculorum ſpontè reverita , impenſâ eâdem privatum errorem lubens poſuit , quâ publicæ cum nonnullis calamitati erepta eſt. Non ita feliciter ceſſit ſua pervicacia alteri , qui neque ab infortunio ſapere doctus , tempeſtatem ipſo ſubijt in portu. E comitatu Acatholicus jam privatâ non ſatis cadens ruinâ , publicam cæterorum quoque peſtem agebat, dux in rebus fidei factus quibusdam , qui aberrabat maximè. Nulli bonorum placuit extemporaneus Doctor ; charitate itaque Chriſtianâ privatìm, atque etiam palàm redargutus,ipſum Oratorem pertinaciæ ſuæ inimicum nactus eſt. Proſcribi per decretũ á cœtu merebatur. Jamq;
re-

remittendus propè erat unde venerat, aut quò vellet, quando annuit conſilio Numen, imo cooperatum efficaciter eſt: probitati reſtitantem toties morbus lethifer involavit, & paucorum dierum ſpatiô confecit.

Redimendis à captivitate per depopulationem nuper Tartaricam abactis Belgradum, quò plures deportati fuerant, occaſionem fecit. Liberali ære, tam quod Provincia Auſtriæ decreverat, quàm quod Oratoris benevolentia ſuggeſſerat; ad hæc quod pia ſolicitudo Patrum Societatis jam antea corrogaverat, ſibi ſuiſque complures reſtituti ſunt, facili conjecturâ, quàm exinde bene venirent hoſpites; qui aderant, ut benefacerent.

Feſtum Divi Joannis Baptiſtæ per ſymphoniacos & Amphiones ſuos Legatus in ædicula Patrum Franciſcanorum, qui Albæ Græcæ degunt, exegit. Sub veſperum ejus diei, ſeu de more per orbem longiùs in Auſtrum profecturo ſoli valedicentium; ſeu in memoriam Martyrum eâ luce, igne abſumptorum, excitari ignes in planitie urbi propinquâ juſſit, idque inter concentus muſicos, atque ad ſonitum tubarum ac ſtrepitum tympanorum. Prævaluit feſtivitas Chriſtianorum celebritati Turcicæ, quam eodem ipſo die agebant in memoriam ſacrificij *Abrahæ*. Ad eam, quòd cam-

campanis non utantur, ab arce per tormentum ſigno edito, cui reſponderant minores per flumen, & Schaickas fiſtulæ æneæ, populus invitabatur, & indicebatur triduò agenda. Auxit fidelium pompã Legatus urbis Raguſeæ, expeditus ad Portam ſeu honorarij, ſeu tributi deportandi causâ, tùm Belgradum appulſus. Adjerat is Oratorem Cæſareum togâ ac biretô ſpectabilis, ut ſenatorem aut legatum Venetum crederes. Quadraginta aſſeclis concomitatus procedebat, qui pedites deducebant Equitem, ſi binos de his jumento quoquè impoſitos excipias. Certatum mutuâ humanitate & charitate eſt, tantò ampliùs, quantò aliàs undique inter barbaros nihil aderat, quod ad amicitiam opportunius provocaret. Priusquam proficiſcerentur ab invicem Orator Raguſeum per Comitem ab Herberſtein, & Baronem De Hay convénit, atque officijs in præſens exhibitis cumulatè reſpondit.

Interea ab Adrianopoli nunciatum eſt, magnum Vezirium pro condignè excipiendo Cæſareo Oratore ſtrenuè occupari, ſed præveniendum fore, quò minus omnia pro voluntate exequatur, ſi Orator approperet: expedire proinde ut celeritatem tantiſper ſuſpendat. Et facilè moram fuit injicere, non jam fluvio, ſed terreſtri itinere decurſuris.

Dimis-

Dimiſſis itaque navibus, atque in donum navarcho conceſſis, qui eas in ſocios divideret: curſor primùm ad aulam Cæſaream expeditus, cum quo graviùs decumbens, & de valetudine recuperanda per jactationem viæ diffidens Dominus à Roſenpach comitatum redux ad ſuos abrupit. Dein vigeſimâ ſextâ die ceſſum Tauruno eſt. Centum triginta numero currus præter jumenta ad equitandum à Turcis ſuppeditata erant in promptu; vehicula ſtoreis intecta trium quatuorve equorum numero jungebantur. Proximâ ſub mediam noctem horâ claſſicum inſonabat ad vaſa colligenda, tùm ad tædas capiebatur iter, quòd profectio diurna ob ſolis æſtum graviùs accideret. Deducebat legationem tribunus turcicus in rem hanc ſubmiſſus à Porta cum Spahiorum, nos equites dicimus, cohorte. Arma illis acinaces, & lanceæ cuſpidatæ, pulchrâ per auram diverberatione per flava & rubra de ſerico foliola ludificantes. Ab humeris pharetræ, & arcus pendebant expeditis ad eventum pugnæ, ſed adverſarij imbecillioris. Hos duo tubicines conſequebantur, tùm Oratoris Cæſarei ductiles equi octo; ac mox carpentum, in quo plerumque cum Comitibus Arundelio ſeniore & Herberſteinio Legatus vehebatur: Poſt lectica cum mulis, & currus

audientiæ, ut vocant, rubro panno ex toto contectus. Hos Patrum de Societate JESU vehiculum: tùm Baronis De Hay, & Interpretis, ac denique indiſcriminatim aliorum de Nobilitate, & officialium aulæ carpenta. Sexaginta, præter hæc propemodum annonæ deputata à meridie prioris diei præmittebantur, ut rebus in uſum vivendi neceſſarijs cum directione & auxilio Janizzarorum proſpicerent.

Vigeſimâ ſeptimâ Junij prima in conſpectum venit palanca Iſarchich, ubi amiciſſimo Iſtro valedicere oportuit. Poſterâ die Collàr viſum, atque abhinc etiam adita à nonnullis, ſpectata ab omnibus vicina Samandria; clara quondam Serviæ Metropolis, quin & nobilis olim colonia Romanorum ab ædificijs & munitionibus commendata: nunc ferro ac flammâ arbitris exile mapale Chriſtianorum. Perſtant iſthîc locorum in reverentiam reliquiæ tenuis ſacelli Magnæ DEI parentis intacti quondam à flammis, dum in cineres reliqua abijſſent. Indigenæ pietatem, ac ritus latini moris obſervant, & ſacerdotem ab ea eccleſia alunt impenſis communis egeſtatis: jure optimo à Zelo religionis & cultu in Deiparam potiùs commendandi, quàm ſi divitijs, & vetere gloriâ etiamnum florerent.

In feſto ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli

Pauli ex Collàr in Haſanbaſſa-palancam motum. Palanca pagus eſt ex mapalibus octo vel decem, quandoque plurium ruſticorum conflatus, quem ſtipites ambiunt, dumis, ramiſque arborum ac virgultis impliciti, luto argilloſo impacto illiti, murum dixeris ligneum. Palis aſſurgit præacutis munimentum, quibus quandoque ad terrorem calvariæ incumbunt à cæſis hoſtibus reportatæ: valet locus ad inſultus inexpectatos aliquantùm arcendos: ſed cum imbribus tanquam periculoſiſſimo ſuo adverſario latera identidem denudante, & convellente fulcra, miſerè conflictatur. Haud dubiè ab hoc palorum munimine *palanca* dicitur: huic plerumque ingens ſtabulum annectitur, *Hann* vulgò dictum, de quo alibi commodior differendi dabitur occaſio. Dies conſequens datus quieti.

Calendis Julij ex Haſanbaſſa in Bodanzin profecti, proximè Jogadam tenuerunt, locum à natura amœnum, fontibus celebrem & exquiſitis delicijs aptum. Recreati omnes blanditijs præclaræ regionis biduum ſubſtiterunt, eâ inſuper ex cauſa, quòd medium profectionis æquor jam confeciſſe communi itinerantium calculo dicerentur. Poſt relictam Jogadam Morlacum occurrit, ſive Morava, fluvius famoſus, quo Servia à Bulgaria dividitur. Ha-

bet ligneum pontem opere inſignem & robore. In Baraizin quartâ Julij: Quintâ in Pællacdereſi: & ſextâ ad Aleſchinti palancam fixa tentoria: Septimâ & Octavâ Niſſæ abſumpta. Urbs fuit Epiſcopalis, nunc vile oppidũ, etiam iſtud ſed rudiori vulgo ſuſcepti curriculi umbilicus. Ibidem curſor Viennenſium adfuit, & literis memoriam charæ patriæ renovavit: quam ab umbris characterum clariùs univerſi, atque à fumo ſuam Ithacam Ulyſſes ſalutabant. Nonâ in Coitinam tribus à Niſſa horis diſſitam transtulit: ibi thermarum ſelectiſſimarum, ut fama refert, occaſione reſiduum diei decurſum. Sunt eæ in aprico extra viam regiam, nullâ cuſtodiâ, nullâ domo, ſolâ ſuâ ſalubritate cultæ: ſcaturigine ſupra tepidam copiosâ è radice montis profluente alveum conficiunt, quindecim pedum longitudine protenſum, ac decem latum; indignæ omnino, quæ immundorum illic, & ingratorum obſequijs malè deſerviant, à quibus contemptim habentur. Cæterùm ſuperſtitioſa gens nulli elementorum præterquam aqueo plus debere vult; remiſſionem peccatorum inde capiunt, unàque illis ad corpus atq; animam mundandam aqua obſequitur. Quare omni rivulo, omni lacunâ, ſubmiſſis in terram corporibus, aut de tapete, vel ſtrophio, vel parte veſtis ſubſtratâ brachia & caput adhibito ritu,

atque

atque invocatione conſuetâ ſe lavant, & corpori utiq; immerſas illic animas pari fideliâ, ſi dijs placet, emundant. At in urbibus & oppidis apud Moſcheas fontanæ proſtant; quas toties, quoties ſunt oraturi, adeunt.

Muſanbaſſam-palancam, ſeu Curruzeſmam decimâ menſis aſſecuti, novo genere officiorum culti hoſpites ſunt. Bulgaræ fæminæ obviam effuſæ butyrum minutatim conciſum, & ſalem ſpargebant per viam. Augurari licuit, id fieri fauſtæ apprecationis gratiâ, ut ſapienter, & absque moleſtiâ ſuaviter profectio reliqua ſuccederet. Monumenta non pauca veterum Romanorum hîc proſtant: cæteris bina eminent, & ſequentes characteres præſeferunt: *maximo & ſuper omnes fortiſſimo Imperatori Cæſari, Julio, Maximo, Pio, Felici, Invictiſsimo, Auguſto, Pontifici maximo*, *Patriæ Patri*: ſecundùm *Juliæ dominæ Auguſtæ matri caſtrorum. R. P. ſuæ V. I. P. curante Quinto Anicio Fauſto legato Auguſtorum P. R. P. R. Proconſule Romano.* Ad latus viæ dextrum aurô dives, & antiquitati notiſſimus mons Hæmus in longum protenditur.

In Pirotam, ſive Sackarkoi perventum undecimâ, ubi moram duodecima obtinuit. Inciderat in diem præſentem natalis de nomine ſolemnitas Auguſtæ ſponſæ Auguſti Cæſaris *Margaritæ*; quò in devoti animi conteſtatio-

nē decrevit Excellentiſſimus Comes, ut omnes feſtiviore apparatu conſpicui divinis primò, lautis deinde cupedijs affatim inſtructis intereſſent. Incertum; caſu an ex compoſito factum, quòd de comitatu nobiliores bini incuriam, an nativam æmulationem profeſſi, nec ſacris intereſſe, nec feſtivo apparatu communem lætitiam proſequi voluerint: certè ſuſpicio pro noxa capta eſt; & abeſſe mandato à menſa juſſi ſunt, qui in communem plauſum non collaboraverant. Fuit iſtud affectûs in Principem propenſiſſimi documentum abs Legato de more ſæpiùs uſitato præſtitum; ſed & non inuſſit notam ſequiorem parti alteri; quando hæc oblivionem ſuam culpans, precata veniam, ſi vel immeritò offendiſſet, priſtinæ benevolentiæ locum recepit.

Æſtivis interea caloribus corpora inſueta novo aëri & inuſitato vivendi modo ſenſim ſternebantur: omnes, quòd Iſter longiùs abeſſet, & obſoniorum eſurialium parca manus, ſuppeteret, carnibus duntaxat paſci, etiam per dies abſtinentiæ ex diſpenſatione oportuit; quamvis & harum reliquis quoque diebus inſincerior annona ſuccurreret. Planè qui medicam Æſculapij manum deſiderabant, ſupra quadragenos numerabantur. Pro curatoribus corporum, qui pleniùs univerſis adeſſe tunc

tunc non poterant, ſuffecêre ſeſe promptos animarum medici. Solicitudo pervigil ita ſe diffudit in attemperandos languentium de-more animi morbos, ut piâ charitate, corrogatis, quàquà poſſent, ſubſidijs, ipſis quoque corporibus prodeſſent: nec minùs beneficentiâ & promptitudine certarunt in procuranda virium externarum firmitate, ut pejùs intra viſcera mente affectos nullibi deſererent. Mors utraque utrinque ſtudioſè propellebatur: eo quidem eventu, ut multis perſanatis, per inſolitos ibi caniculæ æſtus, & noctes planè ſub dio perfrigidas, humidaſque, de plurimis propè deſperatis ſex ſupra viginti tantumodò deſideratos eſſe, divinæ gratiæ fuerit meritò adſcriptum. Atque hos Sacramentis ritu Catholico probè communitos æternitas ſuſcepit. Ipſi, qui eâdem periculorum-navideferebantur Sacerdotes quinque, ex multiplici victûs atque aëris inſolentia morbo tentati, dum alienæ ſaluti incumbunt, ſuæ tantùm non jacturam per vices ſunt paſſi. Hæc interim eorum in omnes charitas valuit ægrorum ſolatio, moribundorum ſubſidio, mortuorum compoſitioni, atque ut plurimùm ædificationi vivorum. Vitam & mores nonnulli; alij, quod perdifficiliùs erat inveteratam in Religione perperam cultâ pervicaciam poſue-

runt, vel hoc argumento perſuaſi: quòd neceſsè videretur, tam eximios charitatis fructus ex fundatiſſima radice virtutis, ac rationis verè divinæ proficiſci.

Cum uno atque altero operam luſiſſe credi poterant, niſi & hos judicijs divinis dijudicandos tranſcribere præſtet. Dimiſſô alterô cujus antè meminimus, alter certè, quô in ſtatu obièrit, planè in ambiguo reliquit. Equeſtris ordinis adoleſcens Hector Erneſtus Kornpfeil Auſtriæ Provincialis, â cunis Lutheri erroribus implicitus per annorum, & ſtudiorum innocentiam quas in partes inſons abijſſet, nunquam ſatis intellexerat. Ajebat Catholicorum ſanctiones perplacere ſibi: indubitatum hinç ad ſuperos iter monſtrari: nullâ difficultate, nullô ſcrupulô permoveri ſe, quô ab illis, vel latum unguem abhorreret. At, inquiebat, quid Illuſtriſſima Domina Mater diceret, ſi de converſione mea intelligeret? ſummô nempe animi dolore contriſtaretur, ut alieniſſima ab hac mutatione; Quâ fronte ego hanc chariſſimæ Matri moleſtiam creem? Interea comparabatur ad mortem, & præorantem Sacerdotem ad omnes contritionis actus planè conſequebatur; ita de occultis æquè, ac de perſpectis ſe peccatis dolere affirmabat, ut ſpontè & palàm omne genus tor-

men-

mentorum perpeti mallet, ac etiam mortem, ſi ſuo ſtaret arbitrio, præeligere, modò & placaretur DEUS de commiſſis, & deinceps quamdiu ſuperſtes viveret, gratiâ nunquam ſibi offenſi frui liceret. Ita animo conſtitutum mors occupavit, alibi efficaciùs perſpecturum, quod incuriùs fortè in hac vita minus obſervaverat. Nunc cœpto itineri ſecundet narratio.

Ante Sophiam Nicopolis appulſos excepit; non illa Romaniæ ad Danubium fragmentis pontis Trajani celebris, ſed altera hæc Bulgariæ. Ejus loci Epiſcopus mutato habitu legatum convenit, honorarium deferens panis azymi, ac meraſornm, & lagenam vini deportans non admodum conſularis. Extra urbem in propatulo ſacra ædes conſpicitur olim picturis variè illuſtrata. Profanatores Sacrarum ædium Turcæ, ne ſanctorum Chriſtiani nominis memoria ſupereſſet, templum ruinis, & emblemmata vibicibus compleverunt. Fama conſtans à traditionibus majorum refert, ædem hanc ante mille & quadringentos annos exſtructam, frequentiſſimâ Chriſtianorum pietate cultam ſemper fuiſſe.

Sophia muro non cingitur: populi tamen frequentia mille equites obviam miſit. In aditu platearum opifices tribubus diſtincti ad-

ſtiterunt. Machinæ majores æneæ auditæ nullæ, his enim carent patentia oppida. Templum olim à Chriſtiana pietate in modum crucis exſtructum nunc pro infami Moſchéa deſervit. In ſacello obſcuro, devotiſſimo tamen à Divæ virginis icone illic ſitâ, divina peracta: Huic Patrum Franciſcanorum unus præeſt, curionis in vicem. Civitas hæc in Bulgaria, ſeu Dacia Ripenſi ſita eſt. Sexus muliebris nuſquam numero copioſiore occurrerat. Collem integrum inſederant millia aliquot. Hæ quòd capita ac vultus obvelatos ſindone deferrent, longè venientibus, nive aut condido lapide inſtratum montem repræſentabant, vel aliud ſingulare artificium ſalutationi Oratoris apparatum: Poſteà ubi moveri capita & diſcerni ſpectaculum potuit, meritò riſu jucundus error correctus fuit, non tamen ſine admiratione tantæ multitudinis. At curioſitas hæc indigènarum non item ductori Turcæ placuit. Ratus eam præter ſeveritatem nativam eſſe, effecit, ut neque Philippopoli, neque Adrianopoli ſimilis curioſitas ſequiori ſexui poſtea concederetur.

Biduum mora tenuit Sophiæ, dum curſor in Auſtriam expediretur. Decimâ octavâ in Kuprabaſſam: die ſequenti in Ictimam vallem ab incolis deſertam profecti, poſtridie in Ki-

ſter-

ſterſent, viâ ſaxis horrente perventum. Famoſa ibi porta ferrea â prælto monte, ac ruderibus in memoriæ ſolius monumentum proſtat. Pervia proximo bello facta fuerat educendo commodiùs exercitui, ejusq; in ſuperiorem Hungariam impedimentis. Ad radicem montis naturæ aliud miraculum occurrit. Erumpunt uno eodemque loco, ſpatio ferè ſeptem pedum, calidiſſimo vapore æſtuantes, fumantesque ſcaturigines; intolerabiles, ſi vel in tertiam partium horæ ſexageſimam ſuſtineas. Harum in medio frigida ebullit limpidiſſima: cæteris nihilominus in odore mineralium, ac ſapore per omnia conſimilis.

Vigeſimâ primâ Julij Saruhambek patuit, patens & fertilis regio, atque oppidum ſolitò decentius. In feſto Sanctæ Mariæ Magdalenæ per Datarbarzich transmiſſa, ſecundâ ferè pomeridianâ Philippopoli legatio appulit. Urbs hæc perampla eſt, à Regno Macedoniæ, ſuoq; conditore Philippo celebris. Situs loci ab affluente famoſiſſimo Hebro ex Thraciæ monte Rhodope vulgo Merish, latinè Meriſa redditur amœniſſimus. In Hebrum Toponiza, & Caludris amnes confluunt. Copiâ ædium urbs continet tametſi male-materiatarum: priſcam nominis gloriam aliquâ ratione ſuſtinet aſſurgendo unâ, ad ſummum alterâ ſubſtructione:

nobi-

nobiliores, ac primùm à militia illuſtres editam domûs arcem duntaxat incolunt. Sacellum hîc exſtat conſtructum in colle juxta mœnia multis græcis characteribus albo & diverſo in marmore inſcriptum, dicatum à Chriſticolis Divo Paulo gentium Apoſtolo: formæ eſt ovalis, diameter in ſex paſſus tenditur; absque feneſtris, & imaginibus nunc patet; tamen fragmenta eraſarum picturarum in parietibus comparent. In medio ſacelli grandiuſculum ſaxum eminet: è quo, ut fama fert, Divus Paulus Philippenſibus legem gratiæ concionans promulgaverit. Famæ vulgari ipſæ Apoſtoli Epiſtolæ ex urbe per Epaphroditum ſcriptæ, adſtipulantur, & acta Apoſtolica Cap. 16. *navigantes autem à Troade recto curſu venimus Samothraciam, & ſequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ civitas, colonia: Eramus autem in hac urbe dies aliquot conferentes.*

Porrò acta locô citatô Apoſtolicum iter complectuntur: è Samothracia enim in Thraciam, quæ Aſiæ adjacet, navigavit; inde Neapolim maritimam civitatem, quæ Macedoniam venientibus primò occurrit, inde applicuit Philippopolim (alij Philippos oppidum exiguum autumant) quam urbem Macedoniæ

ſapientiores, non Romaniæ adſcribunt. Cæterùm Macedonia regio inter duo maria effunditur ab Oriente Ægæum & Jonium tenet, ab occaſu & ſeptentrione in Dalmatiam, ſuperioremque Myſiam vergit; ad meridiem Epiro finitur: inclitum quondam, & hæreditarium regnum Magni Alexandri. Ex hac eadem Philippopoli perhibetur Apoſtolus ad Corinthios utramque epiſtolam ſcripſiſſe. Memoratu dignum; quòd etiamnum tres leucas abhinc multa millia hominum degant, ſparſi per oppida, & pagos, qui à Sancto Paulo etiam modò Paulini vocantur. Ad jactum lapidis â præfata ædicula muri quondam ſublimioris monimentum exſtat, portæ urbanæ ſpeciem referens, quo grandibus inciſum characteribus legitur. *Vitellianus curavit.*

Civitas hæc in bicipiti ut plurimùm monte poſita eſt, Turris in ea eminet, opus antiquitatis præſeferens, quæ horologio ſonante diei tempora partitur, quod in vaſtiſſima hac barbarie præterea vix reperies; quando nobiliſſimo hoc artificio ipſæ Conſtantini, & Adriani urbes carent. Planitiem ampliſſimam circumſpicit, ex parte à fluvio cingitur, ac munitur: mœnia á vetuſtate ruinam minantur, nec convenienti munimine cives ſuos ultrà aſſecurant. Non procul indè Baſilianorum,

Schiſmaticorum , in ſublimi clauſtrum eſt, centum quinquaginta Monachorum , cujus œconomia ad pedem montis à delectis adminiſtratur. In Urbis Divo Georgio Sacrâ æde defunctum nuper adoleſcentem Hectorem Kornpfeil Turcicus Commiſſarius ſepeliri fecit; deducentibus cadaver Barone De Hay, & legationis ſecretario , ac de *Societate Jeſu* Sacerdote : cæterorum corpora, qui objerant, paſſim ripa fluminis , quæ legebatur ſuſcipiebat.

Vigeſimâ quartâ Julij ſub auroram reductis tentorijs tranſitum in Papaſli : cujus Moſcheam , & Caravanſariam pro æterna (ſi ſuperis placet) memoria progenitor Magni nunc Vezirij , aulæ tum Præfectus , ac quondam Vezirius Budenſis , poſthæc milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto vitâ functus , exſtruxit; plurimùm ditatam egentioribus peregrinis recreandis.

Poſtero die in Kiral : tertio in patentiſſimum campum deportati , ob aquarum penuriam neceſſe habuerunt, à via regia aliquantùm ſecedere, dum fontes nanciſcerentur. Conflictari hìc denuò cum morbis nonnulli atque ex mapalibus, ad quæ curioſiùs excurrerant atrociorem luem refere ad comitatum viſi. Plurimùm ad id conferebant fructuum intemperan-

tiùs

tiùs ingeſtorum ingluvies, & vini crudioris potus, ſtimulatus glacie ac nivibus, quas ſolicitè procurant, atque in æſtatem perducunt barbari. Tamen vis mali intra ſolum unius hominis diſpendium ſtetit. Placuit hic loci documentum, quod Turcæ dederunt exiſtimationis, quam haberent de divinis Religionis Chriſtianæ. Dum ſacris operaretur Sacerdos, comparuerant tres Bulgari magnos duos, cum minore tertio urſos ad plectra, & cymbala agentes in jocos & ſaltus. Nonnullis ipſorummet de comitatu ad ludicra hæc inconſultiùs diſtractis, Turcæ, qui ſacrificij divini reverentiam potiorem præſetulerant, indignati ſunt; & Baſſa per ephebum baculis inſigniter contuſos ludiones à tentorijs abigi fecit.

Vigeſimâ Septimâ meridies actus in Harmanli, ubi Moſchéa, Caravanſaria, & pons lapideus nulli hactenus comparandus. Inde noctis ſecundâ horâ caſtra metari licuit in Muſtapha-Baſſa-Cupri. Hic pium æqué ac perelegans in gratiam itinerantium opus occurrit: *Hann* dicitur. Eſt ſtabulum regium, regiâ quoquè ſuperbum magnificentiâ, contectum undique de plumbi laminis: fulcris viginti quatuor innititur, ex marmoris ſelecti ſunt, & complexu brachiorum latiores: intrinſecùs per gyrum cubitis duobus aſſurgit

mu-

murus latitudine longior duplo,quem pro uſu viatorum plurimi camini diſtinguunt, qui & coquinæ & furnorum officium ſupplent: ijdem cibis aptandis, qui viatoribus, & militibus ultrò ſuppeditantur, compeſcendæ item brumali tempeſtati, reficiendisque à frigore corporibus deſerviunt. Murus ipſe per gyrum circumfuſus,ſtratum, menſam,omnemque hoſpitibus præſtat commoditatem, quæ itinerantibus tenuioris fortunæ exhiberi poſſet, & à locupleti fundatorum voluntate decerni. In area ædificij intrinſecùs nulla interſtitia ſunt: pervia & plana omnia, apertaque & communia decumbentibus, & conveſcentibus. Jumentorum idemmet diverſorium,quod hominum. Circulis ad radicem muri equorum evagatio compeſcitur: juxtà horum multitudinem funes ad columnas diducti plures ſtationes metantur; his inhærent affixi ducenti, ac plures, ſecundùm areæ capacitatem. In procinctu eſt cogitare, quæ quies iſthîc, quis ſomnus tutò concedatur viatoribus laſſis, quis fœtor nares, hinnitus quis, & quantus aures offendat. Defectu ædium & temporum iniquitate compulſos prandia & noctes non rarò in frequentioribus, quæ per iter occurrerant, hiſce ſtabulis agere oportuit. Cæterùm diverſoria hæc communia ſunt imis, & ſummis:

uni-

unicum nihilominus plerumque, & per-exiguum è ligno conclave ſingulis annexum eſt: quo viri Principes, aut ipſi Purpurati ſe à turba ſubducunt: Itáque paſſim per Imperium Ottomannicum hoſpites honorantur. Nomen locus à Caravana deſumit, quam plurium unà proficiſcentium cœtum rectè dixeris. Neque tas eſt ſolitarijs absque periculo incedere, maximè ijs, qui mercimoniorum causâ terras mutant. Pons ibidem viſitur ſecto & quadrato lapide albo conſtructus, Ratisbonenſi propè, Pragenſi propiùs accedens, dimetiens quadringentos quadraginta duos paſſus: à fronte ſubeuntibus parte dextrâ ædicula occurrit, ferreis clathris munita: illic ſanctimoniâ Mahometicâ clarus, Muſulmannus accumbit: Propè demortui caput cidaris Ottomannica, decora plumulis adſtat: panno detrito nigro mauſoleum obducitur: Ad fores mendicabulum ſtipem exigit, quò ſe (ut opinari promptum) & locum ab interitu vindicet. Huc ab Adrianopoli excurrerat Illuſtriſſimus Simon à Rheningen in annum decimum ſeptimum Byzantij ad Portam Reſidens Cæſareus, reveriturus Oratorem: Ab eodem viciſſim ſingularis benevolentiæ teſſeris cultus eſt. Ex eo ubi adeſſe Adrianopoli magnum Orientis Sultanum læti intellexiſſent omnes, impenſis

illicò ſtudijs allaborarunt in diem poſterum, quàm digniſſimè, pro ſua quisquè conditione, & Auguſtiſſimi Cæſaris Majeſtate ſe illius conſpectui præſentare.

PARS II.

Orator Cæſareus Adrianopolim pervenit.

CAlendis Auguſti (cujus diei gloriam anniverſaria ad ſanctum Gotthardum victoria etiamnum recordatione recentiſſimâ nobilitabat, quâ ſuperba tyrannis clade præſtantiſſimorum ſupra duodecies mille ſuorum admonita & ſapere didicerat, & diſcernere, quid contemptus hoſtis, quid concordia Chriſtianorum Principum, quid unita virtus poſſit) ſub auroram reaſſumptum iter in patentem campum deduxit, ad ipſa univerſi exercitûs Turcici tentoria latè in Aquilonarem plagam effuſa appropinquantes. Ordo quem tenuere fuit ſequens. Quarteriorum Præfectus cum duobus de comitatu ac cohorteTurcicâ pompæ principium dederunt: hos Præfectus ſtabuli Philippus à Wolffen, ac ſub-

ſubinde Cæſarei Oratoris veredarij ductiles, phaleris, & integumentis arte, & pretio inſtructiſſimis adornati: Tùm holoſericis argento intextis ad morem Orientalium populorum talaribus honorarij nobiles Ephæbi ſequebantur. Tubæ deinde campeſtres octo ex argento, & tympana cum gentilitijs Legati de ſerico dependentibus: his tamen de more coram Imperatore Ottomannico ſilendum fuit. A tergo inſiſtebat Lælius de Luca aulæ Præfectus, & vexillum rubrum, limbo ad perticam complicato non pleniùs panſum, ſtatim aſſociatis tàm Oratoris, quàm cæteræ nobilitatis adminiſtris præferebat. Claudebant hoc agmen ducenti Chiauſij, nobilium Turcarum filijs permixti. Poſthæc illuſtriores legationis, Duces, & Comites, Baroneſque ſuccedebant equis generoſiſſimis vecti: bini ac bini benè longum explicabant ordinem. Proximiores ſuperiori labaro præibant, ſuâ quisque conditione, ac meritis ſpectatiſſimi Franciſcus Obroſi Hollandus, Thaller Auſtriacus, Hardik Hollandus, Joannes Baptiſta Camel Goritienſis, Vincentius Marcinus Lucenſis, Ignatius à Longen Græcenſis, Matthias Caſtner Conſiliarius in excelſo regimine Tyrolenſis Auſtriacus, Illuſtriſſimi Alexander de Finn, Baro Tergeſtinus; Pompejus Coro-

ninus Baro Goritianus, Joannes Theodorus de Reck Baro Weſtphalus, Franciſus de Hay Baro de Delgratiæ Scotus Excellentiſſimi Oratoris ex ſorore Nepos, Vicecolonellus. Nicolaus de Vernavel, Chaſteau, Vieux, Baro Gallus; Auguſtus Chriſtianus Dux Holſatiæ, dictus interea Baro de Binnendorff; Edoardus Comes de Arundel; Joannes Carolus Baro de Fünffkirchen; Marchio Bernardus Pecori Florentinus; Joannes Auguſtinus Durazzi Marchio Genuenſis. Intercepit ſeriem procedentium hoc loco vexillum legationis candidum, auro, phrygioque opere locupletiſſimè intextum. Hujus itidem quamvis extremi apices ad haſtam de more colligerentur (nimirum non ferente ejus monarchiæ immani arrogantiâ, ut ulla gentium coram Sultano ſua labara explicet,) ſatis tamen apertè, hinc Aquila imperialis, inde Deipara caput draconis conterens ab alterna ſubvolantis vexilli parte ſe conſpiciendam dabant. Princeps hoc atq; Imperiale labarum honoris causâ deferebat Otto Hermannus Comes à Stirhaimb. Adequitabant à dextris Dux Nortfolciæ Henricus, at nunc Comes Arundelius ſenior, Anglus; à ſiniſtris Joannes Joſephus Comes ab Herberſtein Eques Melitenſis, & præſidij Criſienſis Commendans. Ab his Cæſare-

ſareus Reſidens Simon â Rheningen Styrus, virtute, prudentiâ, & fidelitate inter proſpera & adverſa commendatiſſimus ipſorum elogio barbarorum, ſtipatus domeſtico, ac pedeſtri famulitio ingrediebatur. Tùm utrinque diductis ad latera intervallis apparitores Oratoris, ac corporis cuſtodes acinace, & armis præterea brevioribus inſtructi in malleum præfixâ cuſpide detortis, Oratorem anteibant. Ipſe Excellentiſſimus Legatus prolixo fluenteque, & ab annis, de vertice ac mento venerabili capillitio decorus, à procerâ corporis eminentiâ, à frontis & vultus ſeverâ majeſtate venerandus ſuſpiciebatur. Togatus incedebat duplicibus ex toto intertextis auro: capitis integumentum, ut confertis ardearum plumis; ita magno numero, & ordine unionibus adnitebat frequentiſſimis, valorem plurium millium excedentibus. Bucephalo, quo vehebatur ad ſuperbum munus, quod obibat, deerat nihil. Circùm ſatellites, ſuprà præeuntes haſtati, copioſum â veſtibus argentum fulgentes, gradiebantur. Dexterum Cæſarei Oratoris latus Mareſchallus Aulæ, Chiaus Baſſa ſtipabat; lævum (qui pro ritu gentis nobilior eſt locus) equeſtris militiæ generalis Spahiorum Aga tegebat. Panniotti amborum Cæſarum interpres â tergo inſequebatur cum Se-

cretario Legationis Joanne Friderico Metzger Juris Utriusque Doctore; ac privato Legati interprete Wachino. Poſtremò in utrumque latus centeni Janitzarorum effundebantur, populi affluxum cohibituri. Agmen equeſtre ducenti Spahij loricis ferreis, pharetris, lanceisque inſtructi claudebant, Hos lectica aurô regiôque opere illuſtris; Quatuor item carpenta, ſingula ſenis equis ad majeſtatem, elegantiamque ſuperbiſſimè compoſitis inſequebantur. Primo, utpote ſoli Oratori deſignato, nullus; alteri Patres de Societate JESU bini, Confeſſarius Legati, ac ſocius: reliquis primores aliqui, ex fracta â morbis valetudine equis minus deducendi inerant. Currus demum communibus impedimentis deportandis aſſignati plures centum nonaginta tergo legationis inſiſtebant.

Ita per medium caſtrorum inſpectantibus, & demirantibus pompam Ottomannæ gentis Proceribus deducta eſt legatio: viſa potiùs repræſentaſſe triumphantis gloriam Occidentis; quàm Orientis ſalutationem. Conſtitit poſtea Sultanum ipſum, Mehemet Turcarum Monarcham de ſolario viciniſſimo ad Serraglium, quà deduceba ur Legatus, cum gaudio, & admiratione ſub cortina transparente, cum Walida matre, & Sultana conjuge, ac duobus germa-

germanis fratribus ſumptuoſam hanc, & Romano dignam Imperatore ſpectaſſe Legationem: nec non poſt curioſiſſimè inſpectam familiarium nonnemini dixiſſe *parem ſe in omni genere vidiſſe nunquam*; Nec immeritò: nam quidquid oculis objiciebatur, & rarum erat, & tantis ſpectatoribus dignum, & digniſſimum mandante Auguſto. Ipſe quin etiam Procerum Orientalium ad ſpectaculum iſtud præſentium delectus augebat celebritatem pompæ nunquam viſæ.

At quo conſilio, quæ ſubjungimus geſta ſint, pro incomperto habemus. Pridie, quàm adveniret Legatio ſeverô edictô promulgata Adrianopoli ſententia: ne publicus extrà domos aut ædes aſpectus cuiquam fæminei ſexûs liceret: ne quiſquam Turcarum feſtiviore apparatu indutus prôcederet; ne ulli mortalium poſt occaſum ſolis potus indulgeretur, qui mentem à ratione avocaret. Principis Purpuratorum iſta, ſeu magni Vezirij ſancita fuiſſe conſtitit, nec tamen ab odio in hoſpites profecta. Conjectari licuit exterorum æmulationi deditiſſimam gentem hâc ſeveritate palàm facere voluiſſe, pares animos & cupiditatum contemptores, militiæque duntaxat editos, uti præſentibus extraneis ab hac virtute famoſiſſimis; ita ſibi quoque domi ſuæ naſci: nec

legationem iſtam deliciarum cauſâ, ſed virtutis mutuæ conſpiratione venire, vel admitti: Poteratq; magnus Vezirius ſuæ exiſtimationi ita omninò conſuluiſſe; cùm lege hàc latâ doceret, quantâ cum circumſpectione, ac mentis temperantiâ, victûsque ſobrietate nationi huic occurrere oporteret, quâcum ipſe non multò anteà laborioſiſſimè conflixiſſet. Certè alias hic Princeps Purpuratorum quantùm ſalvâ authoritate poterat, nuſquam defuit occaſionibus per ſeipſum, aut ſuos de Legato, ac ſocijs benè-merendi.

Obtinebat ille in caſtris, ut exercituum Præfectus, circumfuſa inter agmina locum principem, qui tentorijs, & reliquo apparatu urbem in regiones ac vicos diſtributam repræſentabat. Sultanum auguſtiùs divertere vix quisquam crederet. Hunc primum Cæſareus Orator ipſo Thaborææ transfigurationis die ſub papilione à Perſarum elegantiâ ſumptuoſiſſimo convenit: Deducta illuc pompa absque tubarum ſtrepitu, & labarorum inſignibus. Perhumaniter cum Legato accepti omnes, atque iſte unus cum Vezirio invitatus aſſidere. Tùm Chavé, & Schörbet in gyrum largiùs propinata, & fumigatio de thuribulis argenteis, incenſâ alöe, ſingulis diſpertita. Demùm ab alloquio in primores legationis centum

tum triginta Kafftan (paludamenti Aſiatici genus eſt) diſtributa: è quibus pretioſiſſimum mille imperialium, cum equo generoſiſſimo, ſuperbiſſimeque inſtrato Oratori ceſſit. Viciſſim ab eodem Achmet Baſſa (hoc magno Vezirio nomen eſt) capta munera, ab artificio ac valore commendata. Litteris ad illum inſcriptis à Majeſtate Cæſarea, ac tùm præſentatis hæc erat epigraphe: *Strenuo & Magnifico Viro Achmet Baſſa Sereniſſimi Turcarum Imperatoris ſupremo Vezirio ſincerè nobis dilecto.*

Per eos dies allatum eſt, Conſtantinopoli incuriâ militum, tabacæ hauſtui minùs ſobriè indulgentium, partem regiæ flammis correptam, cum ea ſupra biſcentum domos ſubitô incendiô perijſſe. Diſſimulare non poterat ferox caſus, quin indicijs ſe proderet, ſeu demiſſiùs, ſeu ominoſiùs inter præſentes plauſus de ſe ſentientium. Itaque cum etiam non multò ante Regina Mater, & Sultana Byzantium remeaſſent, & maritima, prout deſtinaverat Imperator, caſtella inviſendi tempus moneret, accelerari cum Oratore Cæſareo alloquium oportuit.

Undecimâ Auguſti centum Chiauſij, ac ducenti Janizzari horâ ſextâ matutinâ adfuerunt deducendo Legato, inſtructiſſimi undequaque: ſimul qui hoſpites deportarent ſubmiſſi-

ſonipedes. Tùm ordine & pompâ, quæ decuit, proceſſum. Admiſſis in Aulam (Serraglium vocant,) deinceps in locum conſilij, *Divanum*, pedes eundum fuit. Sex illic Vezirij primi nominis cum arbitris rerum Aſiaticarum & Europearum adventantes opperiebantur. Occurrit Oratori è veſtigio magnus Vezirius, & perhumaniter conſalutatum ſedilibus auro intectis aſſidere fecit. Tùm ne faſtûs ſui oblivisceretur ambitioſiſſima natio, ſub oculos Legati, & comitatûs Cæſarei ſummam trecentorum ſeptuaginta quinque millium Imperialium militibus in trimeſtre ſtipendium, cæteriſque in aulæ ſervitium occupatis in compenſam, coràm diſtribui fecit. Stabant circum ordine longo per atrij latitudinem, obverſam Divano, Janizzari inermes; junctim denſatis corporibus, manibusque ad pectus cancellatis; tecti pileo omnes, cui à fronte, cuſpis de flavo ære protenſa aſſurgit; à tergo cubitalis cento defluit de lana Camelorum coactus. Ex adverſo adſtabant quindecim minores rotis inſitæ æneæ machinæ. Rurſus à latere alij ductores cohortium, *Zorbaſchi* vulgô nuncupati, quadraginta aderant contecti ſemilunatis supernè, & arctiſſimè coëuntibus galeris, de quibus copioſæ, candidæque plerumque, ardearum plumæ utrinque tendebant

in-

in altum, ad modum ſuperbientis pavonis. Inter hæc Præſes ærarij per Quæſtorem, ducum nomina ſingillatim ſucclamari juſſit: illicò cohors cohortem ad auditum ductoris nomen ad capiendam penſionem proſequebatur, nec lento pede, ſed eo quem cupiditas avidiorem ſtimulabat: aut quem aliàs ad expugnanda valla ſub inſultum expediunt. Singulis deputati certo numero rubri & coriacei ſacci conſignabantur; quibus occupatis prægraves lentiùs jam recedebant, priſtinam ſtationem repetituri tribuni ſuam, ſuam milites: futuri deinceps, donec abire ab aula monerentur in ea immobiles. Obſervabat de ſipario Sultanus univerſa; atque exinde etiam ſeclusâ cupiditate nullus tardigrado paſſu incedebat, ſed vulgus militare præpropero, nobiliores officijs ſuſpenſo curſum tamen præſeferente, ſubfugere conſpectum Principis nitebantur. Seſqui horam hæc expeditio tenuit. Prandiùm in Divano ſubſecutum eſt. Quinque omninò menſis adſtitit triclinium haud plùs duos palmos altis (quòd humi diſcumbere cæteroquin ſit moris) Dedignantur mappas lineas; fuſcinularum, cultrorumque nullus eſt uſus; cochlearia tamen inferunt, quæ de communi ligno confecta, oblongis manubrijs tenentur. Menſarum primæ Excellentiſſimus Orator

cum

cum Illuſtriſſimo Reſidente, Magno Vezirio, & alio qui Capitanei, Baſſæ, & Caymicani officio cæteris eminebat, accubuit; reliqui quatuordecim è prima nobilitate diverſis admoti menſis, alijs Proceribus immixti. Ferculorum pompa, præter carnium, piſciumque, erat potiſſimùm è ſaccaro, muſcô & ambrâ confecto. Potus ex aqua omnis, miram odorum redolens fragrantiam. Reliquis de comitatu aforis ſub tentorio in terrâ, ſubſtratis tapetibus patrio uſu lautiſſima data refectio: Utrinque epheborum turba pervenuſtè & ſcitè miniſteria ſua obibat. Remotis menſis chlamydes quadraginta auro & argento omni ex parte in flores deducto intertextæ, in primores diſpertitæ ſunt. Cum his, neque aliàs adire hunc Principem cuiquam conceditur. Adhæc in aditu ſoli Oratori ex toga Imperatoria ſtola defluens ad oſculum porrigitur: ſed & pauciſſimi in conſpectum admittuntur.

Delectis ad alloquium Sultanus apparatu à gemmis, & metallo undique circumfulgente radiantiſſimus, in conclavi à regali opulentia inſtructiſſimo, aſſidenti à thoro potiùs, quàm à throno ſimilior patuit. Non has divitias Adrianopoli ſervat, vel invenit: Quâcunque enim incedit camelis theſaurum Imperatorium deportantibus, eodem ſplendore, &

faſtu intuentibus ſiſtitur. Perangusta ſcena eſt, qua ſol iſte panditur; nec ad diei niſi modicā lucem, magis autē ad fulgores quos reverberant gemmarum multiplicium radij explicant, patet. Diſtinctius de hoc ſacrario agetur, ubi Conſtantinopoli conceſſum alloquium alterum deſcribetur. Ubi Orator Cæſareus in conclavi regio adſtitit, alij per ordinem Legationis Proceres, ad ſolam venerationem profundâ cum inclinatione capitis alternatim faciendam, atque illicò extrà conclave receſſuri, inducti ſunt per collaterales ſingulis binos de Turcarum primoribus. Subjêre limen hâc vice Reſidentes ambo, à Renningen, & Caſanova: Comites Arundelius & Herberſtein: Marchiones Durazzi & Pecori: Comes à Stirhaimb: Dux Holſatiæ interea Baro à Binnendorff: Barones Fünffkirchen, Hay, Coroninus, de Fino, de Vernavel, de Reck; Secretarius item Legationis, & Interpres. Digreſſis poſtliminiò omnibus præter Oratorem, Reſidentes, atque Interpretem, hic poſtremus literas Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi Legato Cæſareo præſentavit; atque hic Sultano reverentiſſimè obtulit, unaque ab Auguſto ſalutem, & Legationis univerſæ cauſas publicas, privataſque expeditiſſima cum facundia enarravit. Accidere ſibi gratiſſimam amici Germano-

manorum Imperatoris ſalutationem repoſuit Sultanus, & beneveniſſe Oratorem juſſit: tùm de cæteris breviter, quæ Imperij utriusque felicitati congruerent ex voto reſpondit: ac demùm Conſtantinopolim ut progrederetur Legatus monuit, propediem illuc à maritima ſeſe, quam ſuſceperat profectione reverſurum. Repetitâ inclinatione Orator è conclavi digrediens fulgentiſſimo cum comitatu in tentoria reductus fuit. Quòd Sultanus Auguſtiſſimũ Cæſarem ſolo titulo Germanorum Imperatoris compellet, inde naſcitur: nam cum ipſe novam Romam, à Conſtantino ſic dictam, teneat, Romanorum Imperatorem alium à ſe non agnoſcit: quaſi verò diviſo in urbes Romæ, uti quondam Cæſarum in plures homines nomine, is, qui recentioris, ac diviſi principatûs titulo potitur, antiquiori quidquam de elogio eodem, utique magis proprio, poſſit ſubtrahere!

Reſidentia Imperialis Adrianopoli in amœno campo, quem fluviolus Copriza interſecat, urbi adjacet. Major amnis, qui mœnia ad meridiem alluit, Mariza vulgò, latinè Hebrus dictus, Philippopoli hûc, hinc Trajanopolim, ac poſtea in mare Ægæum effunditur. Urbs ornamentum eſt totius Thraciæ, nunc Romaniæ nuncupatæ, à novâ Româ, Conſtantinopoli:

Re-

Regio ab occidente Macedoniæ adhæret : à ſeptentrione Iſtrô clauditur : ab oriente Pontum, à meridie Ægeum ſpectat. Adrianopolitana Sultani aula è ligno minùs carioſo tota conſtat : rubro & viridi colore tincta conſpicitur : plumbo tegitur undiquè : abundantiorem lucèm ſupernè per tectorum patentes valvas accipit. Longitudinem molis (quà parte legatio accipiebatur) altiſſimæ duodecim quercinæ columnæ fulciunt : latitudinem non niſi ſex utrinque : atque hæ octo circiter geometricis inter ſe pedibus diſtant. Divani propylæum è muro partim, partim ex aſſeribus aſſurgit, nec ultra ſesqui orgiam: aſcenſum gradus lignei ſubeunt : portarum ſeras, non fabri ferrarij, ſed lignarij ac torncatores conficiunt: nec alia in cæteris ædibus earum materia. In medio pergulæ, ſimili colorum varietate pictæ, feneſtra de pariete cubitalis proſpicit ; ab hac quæ in ampliſſimo atrio, & vicinis porticibus, ipſôque Divanô aguntur, accuratè omnia *Mehemet Sultan* curiosè obſervat, & contemplatur.

Munera quæ nomine Imperatorio præſentabantur Sultano, ita ab artificio & pretio, ut à metallo utroque ditiſſima, digniſſimaque utrinque fuêre. Per medium atrij ſingillatim à Turcis deferebantur ſingula ad con-

conclave ſacratius Sultani, præſertim ut multorum millium ſpectantium avidæ curioſitati fieret ſatis. Reſpondiſſe univerſa eximiæ exſpectationi argumento fuit geſtus & nutus, plauſu, & comprobatione deprædicans; oculi item ſtupor in numerum, raritatemque operum aut fixi, aut abſorpti; compreſſio item flexioque corporum, quâ cupidè (quando nullus vel palmum procedere loco præſumit) quæ raptim modeſtiſſimè transportabantur, intueri quisque ſatagebat. Obdo Baſſa Aulæ Præfectus coordinabat omnia: ſcipio hunc pro viri proportione in longum dimenſus præibat: ad nutum & opportuna ejus ſigna aulæ univerſæ actio & geſtus aut fervebat, aut componebatur; gnomonem dixiſſes politicæ, & caduceum morum.

Ut verò Orator privatâ ipſe quoque devotione Sultanum revereretur, carpentum quo elegantiſſimo inter cætera utebatur (audientiæ currum ſupra diximus) Monarchæ illi præſentandum duxit. Aquilæ illum & leones arte exquiſitiſſimâ ſculpti aforis adornabant. Per rotas & temonem fulgor auro illitus radiabat; intra conopæum ſelectiſſimo croci principis holoſerico cultiſſimè nitebat: corymbi & coronides aureæ ſericis filamentis intextæ defluebant à laterum ſuperficie: nec

aſpe-

aſpectui quidquam occurrebat, quod phario, phrygioque opere regaliter non niteret. Aſſeverabant multi, in Thraciam, Græciamuè Byzantinam, poſt Romanorum triumphales currus, parem huic illatum nunquam. Deducebatur ille à Neapolitanis ſex, raræ elegantiæ, & proportionis: digniſſimus omni ex parte, qui Orientis moderatori in glorioſæ Majeſtatis partem cederet. Acceptum eſt munus grato animo, ſed non æquè poſtea cultum. Nam è veſtigio quidquid ſpeciem ac vultum animantis cujuſcunque præſeferebat in carpento, evulſum inde, & eraſum eſt. Attamen iſtud non in contumeliam muneris, ſed pro ingenio gentis egerunt. Lege Mahometi nulla apud illos ſeu volucrum, ſeu ferarum effigies; nulla, quam arte humanâ conficias, imago. Sive quòd qui dominatum in univerſa ſuperbiſſimè arrogant, neque ſimulachra eorum tutò uſpiam acquieſcere velint quæ oderunt, vel contemnunt: ſive quòd domeſtica immanitas per belluarum ectypa repræſentata ingrato ſpectaculo conſcientiam prototypi extimulet: ſive, quod credibilius, quia jam inde á materno, & Judæo lacte Pſeudopropheta indidit, admixtumque nefando reliquo veneno ritum aſſeclis tranſcripſit, nempe uti ea emblemata tanquam idololatriæ fomitem

omni ſtudio ab oculis amoveant. Quod equidem ſani opus conſilij fuiſſet, ſi impius homo, quem belluis cultum rectè ademerat, nequaquam in ſe, deterrimam reliquarum, transtuliſſet. Addidit Orator carpento & Bucephalis in delicias Sultani, quibus iſtum affici admodum, & à teneris noverat aſſueviſſe venatorios canes quatuor, proceritate, & genio ad id operis commendatiſſimos. Jam antea canum ſepties mille in ea ſtudia dicebatur is alere, aliosque argenteis, aureisque, prout chariores eſſent, catenis claudi; nec unionibus parci in vincula conglobandis, quò monilia vertagorum quos æſtimaret inſignirentur. Canes Imperator ſibi retentos obſequijs venationum ſuarum adſcripſit; currum poſtea Reginæ Matri donavit.

Recurrerat per eos dies pia recordatio Deiparæ in cœlos Aſſumptæ: viſum fuit Excellentiſſimo Legato ſacram non minùs, quàm civilem pompam Chriſtianæ magnitudinis argumentum hîc fore: præſertim quòd à pluribus ſæculis Chriſtiano etiamnum nomine illic inſigniti, ſolatio communis celebritatis confovendi hac occaſione viderentur. Itaque magnificentiâ apparatus, ac muſices, quantam alibi in viſceribus populi fidelis ſperare poſſes, pridie ejus diei, atque ipſo feſto in ædibus

Le-

Legati decentiſſimè adornatis Divina peracta ſunt. Ipſe Orator pulcherrimo ad pietatem exemplo Euchariſtiâ palàm inter miſſarum ſolemnia refectus eſt; quem de nobilitate, & comitatu plerique cum magna ædificatione ad easdem ſacras epulas ſunt conſecuti. Valuit exempli vis etiam ad religionis extraneos. Auctarium quippe feſtivitatis fuerunt adoleſcens heterodoxus,& mulier ſectæ anabaptiſticæ: expiati enim ab erroribus & noxis, & divino præterea epulo refecti inter lachrymas, motoris intus Dei, & affectuum ſanctè cooperantium teſſeras liquidò monſtrabant, quanto lucro humana cœleſtibus conjungerentur. Nec defuit, qui transmiſſus (ut bene ſperatur) in cœlum hæc, & alia hactenus cœlitibus ſtudia nunciaret. Jacobus Sigrai inter Ungaros, quà nobilitate, quà literis probè excultus juvenis, ideoque non ultimæ apud ſuos expectationis, ſuſceptis piè ad æternitatis capeſſendum iter Sacramentis, dum legatio ad Sultanum adornatur Regem Regum adoraturus abijt morbo extinctus, & in Græcorum Sacrario, latino ritu terræ mandatus.

Hoc ipſo die ſylveſtrium equorum caudæ ſex, coloribus variegatæ, & globo aureo ſupernè contectæ, infallibilis,etſi die indeterminatâ, profectionis teſſeræ, caſtris præfixæ ſunt;

ac tûm quivis rebus ſuis proſpicere, & moras rumpere impedimentorum ſtuduit. Decimâ ſextâ Auguſti Purpuratorum Princeps Oratorem Cæſareum invitatum ad ædes officioſiſſimâ cum humanitate honoravit. Ædium forma apud magnates ubique ſimilis, nec comptior Byzantij quàm Adrianopoli, vel aliàs: ſolo interiore aulæorum, elegantiarumque privatarum apparatu diſſident. Univerſæ, ſi fana Mahometi excipias, de ſimplici ligno aſſurgunt. Saxis durioribus educere parietes, vel arcuare latera in fornicem, moris non eſt. Ad uſum humanum nihilominùs, & impendendos ſumptus aptiſſima in illis omnia & commodiſſima. Primas ædium ſubſtructiones ligneæ trabes componunt, inſertis lutô & calce, nec non quandoque lateribus Solis æſtu decoctis. Verti in lapidem exinde omnia credas; quandoquidem in ævum durant. Secunda his ſuper ſtruitur contignatio, eaque ultima, quam arbores tantummodò coagmentant: incruſtatio huic illinitur candidi coloris quam nec humor, nec imbres facile diluunt. Pavimentum ſtoreæ veſtiunt ſubtilibus pertextæ arundinibus; at in ædibus virorum principum multo ſerico argentoque eleganter teſſellatum inſternitur. Iſtis inambulare, vel inſiſtere cothurnatos, calceatosve, nefas eſt; idemque honor, cau-

cautelam improbam atterendi faſtûs rectiùs dixeris, Moſchéæ impenditur: ſoccis coriaceis, aut omninò nudis pedibus,mundisq; calcantur. Proinde præ foribus diſcalceari omnes neceſſe eſt. Scamnis & ſedilibus nō eſt locus. In domo talis, vel tibijs,Saracenorum Arabiæ adinſtar decuſſatis humi inſident indigenæ: reclinatoria tamen ex auro,& holoſerico ſubſternuntur, quibus ad arbitrium aut aſſident, aut ſupinato tantillùm corpore incumbunt, vel innituntur.

Medium aulæ Proto-Vezirij in parte domûs infimâ fontana occupat albo ſuperba marmore, & duodenis æreis fluens canalibus,præter copioſam & perennem à vertice ſcaturiginem; aſſiduæ Turcarum lotioni peropportunam. Per ædes ſimiliter alias bajæ, & balnea. In aulâ inferiore Primores comitatûs Cæſarei, at de ſuperiore loco quinque Proceres Turcici cum Proto-Vezirio Achmet Baſſa & Oratore accubuerant. Corium rubrum vices menſæ humi explicatum ſubijt; mantile perelegans ſinus obivit omnium, ne veſtimentis inter edendum macula aſpergeretur. Ciborum delectus, & prodigalitas condimentorum paria tanto Principe fuerunt. Siti attemperandæ frequentius admovebatur Schörbetum de conchâ pretioſâ & capaci (porcellanam vocant) Potus hic violapio noſtro per-

ſimilis, etiam ex delectis liquoribus conficitur, ſaccaro, ambrâ, & muſco redundat. Prandij epilogũ de thuribulis argenteis aloëtica fumigatio invexit, quem potus de anſulatis ſcutellulis illicò ſecutus eſt, ab omni ſexu & conditione ſtomachi roborandis viribus aſſumi ſolitus. Vinum, aut liquor univerſim, qui cerebro officere poſſit à menſis lege Mahometicâ omninò exulat. Non parcunt tamen ignobiliores quin præter legem eo utantur; magnatum in abdito cenſura eſt. Cæterum pœna baculorum deprehenſos in ebrietate manet infallibilis.

Addita pro colophone convivio planè regio velitatio. Ducenti circiter primæ ſpei juvenum (Tzogolan dicuntur) in ſtrenuitatis experimentum primò ſinguli ſingulos acriter impetere, ſed innocuis à ferro haſtilibus; turmatim poſtea tantò ſeveriùs, quantò ampliùs ſpectatorum acuebat authoritas, pari miſſilium impugnatione mutuò laceſſere ſe juſſi. Volabant baculi telorum inſtar alâ inevitabili, & ictum non niſi exercitatiſſima dexteritas, aut membrorum inflexio oculatiſſima evitabat. Aream concurſationi funis nauticus, quem camelum vocant, deſcripſerat; Sine noxa rediere omnes ab arena: niſi quòd bini, vel terni equis decuſſi pro mortuis ſublati

lati ſint. Spectârunt decertantes Orator, & Pupuratorum Princeps, Muffti Sacerdotum Præſes, & Deftardar-Baſſa Magnus Cancellarius, Præco legis Mahometicæ Aulicus, & Kihaja ſeu præfectus aulæ Proto-Vezirij, idemque hic ſigno conſtituto certamini finem edixit.

Conſequentibus diebus inter officia mutua publicæ, privatæque utrinque res fœderi deſervientes, actione præliminariâ diſcuſſæ ſunt. Actum de captivorum eliberatione: de limitibus conſtituendis circa Uivarinum: de inhibendis excurſionibus ac deprædationibus mutuis: de tranquillandis ac pacificandis partibus bello nupero laceſſitis, ſocijsque utrinque communi tranquillitati adſcribendis; de reciproca commerciorum ultrò, citroque abſque impedimento proſequendorum impoſterum inſtitutione, & continuatione tàm Hungariæ & Auſtriæ, quàm Germaniæ & Imperij utriusque emolumento futura: De modo in fœderatorum Principum conjunctionibus, diviſionibusq; ſervando: De populorum libera, nec perturbanda in profitenda exercendaque Catholica Religione per regiones Ottomannicas facultate. Quæ, & his ſimilia, quia Principum utrinque privata ſenſa, & oracula concernunt, ad hiſtoriam nec referuntur, nec pertinent. Aliqua tamen ſuper horum tra-

tractatibus palàm divulgata poſt hæc ſubjicientur.

Jam quatriduò antè movendis Sultani caſtris promulgatio facta fuerat. Sylveſtrium equorum caudas coloribus diverſis illitas & globô ab auro refulgenti coronatas in eum finem ſtationibus præfigunt. Infallibile hoc profectionis apparandæ jndicium eſt,&abrumpendarum, ſi quæ ſuperſint, morarum : maximè cùm geminatâ vice, prouti vigeſimâ Auguſti factum,proponerentur. Gallipolim verſûs explicata tùm ſigna, quæ *Thû* dicuntur fuerunt : at primùm triduò poſt, ſed ſummo mane movit Imperator. Initio cum ingenti clamore vociferatio peracta : tùm tympanorum, tibiarum, ac tubarum ſonitus acceſſit. Equitatûs partem trecenti ſexaginta tres cameli conſequebantur, turpe viſu animal, præter ex ijs primarium unum, qui erat undequaque candidus : omnia his impedimenta,& theſaurus injecta.

Pridie diſceſsûs plateæ urbis emundatæ ſunt omnes, per quas cum exercitu iter ingreſſurus cras erat Sultanus. Hujus comitatum inchoârant Spahiorum turmæ ; exinde Seriphi amicti viridibus pileolis in conum altè ſubeuntibus ; mox centum circiter â domeſticis ſervitijs homines ſubſecuti : tùm cohors eque-

ſtris una, quam nonnulli equi ductiles generoſi, tegumentis pretioſis inſtrati proſequebantur in uſum Purpuratorum Principis. Poſt hos quadraginta tres Zorbaſchæ Janizarorum capitanei, & ducenti quinquaginta Chiauſij leviter armati. His imminebat decas Cadiorum, ſeu Judicum turbinatas cidares albis redimitas faſcijs portantes, è quorum numero provectior ætate, authoritate præeminens, viridi ex toto tegebatur. Hic Muſulmannæ ſtirpis nobilitatem præſefert,& cuſtos eſt ponè inſequentis ſcriptoriæ menſæ, camelo ſuperimpoſitæ; quæ inter judices iſtos, & ſex primores Baſſas media deferebatur. Succeſſerunt primi totius Orientis moderatores,atque horum Princeps Proto-Vezirius, & Mufti Pontifex. Conſecuti rursùs equi triginta, quinque integumentis aurô, & unionibus regiè implexis inſignes; lateribus jumentorum frameæ, ſcuta, aliaque ſelectorum armorum appenſa, ad quamvis pugnæ occaſionem portabantur. Mox Capitſchi Baſſæ cum antea dictis *Thû*, quæ ſupererant à promotis prioribus caſtrorum movendorum ſignis, atque hos venatici canes copioſo numerô ſubſecuti ſunt: Exinde viſu digni ſeptem dromedarij rubro panno conſpicui; novem item cameli, totidem Leopardos deferentes, quorum Præfectus alium

præterea camelorum deducebat, qui inciſtula holoſericâ aureis cinćturis firmatâ Alcoranum quaquaversûs ſpećtandum exhibebat.

Proximè ad codicem Mahometi ipſe Imperator *Mehemet Chan* ſucceſſit textili ab argento refulgens,ac præterea chlamydem ex holoſerico Zobellinis ſuffulto indutus. Ejus depile caput continebatur ſupernè à flocculo oblongo ingenti faſciâ redimitô. Terna cidaris latera ardearum plumis ab unionum vi incredibili, & varietate illuſtratis inveſtiebantur: manu annulum Princeps præferebat adamanti implexum, qui figuræ triangularis exiſtimatus ab inſpećtantibus duos mole ſuâ integebat digitos. Staturâ Sultanus mediocritatem excedit; gracili utcumque corpore ſymmetriam implet; Faciem color flavus, & cicatrix oculo ſubjunćta nonnihil exaſperat. Diffuſus per ſuperna labra pilus virum indicat majorem annis viginti ſeptem. Ingenio pollere dicitur; quamvis non ſatis decoćto: præceps etiamnùm, atque etiam ſuſpicax ex vitio præfervidæ adhuc mentis.

Hunc utrinque à tergo ſtipabant Zorbaſchiorum centum ſexaginta: in veſtigia tamen quatuor *Muſahib* ſequebantur, quibus ipſe familiariùs utitur. Et verò iſti conclave regium ipſumque Sultanum pro libitu adeunt:

& fas eſt ijsdem, inter obſequia, referre gravamina & preces cæterorum, aut ſi quid aliud fama publica, vel rumores privati foris divendant, ipſique acceperint domi recitanda: odio, aut favori multorum apud Sultanum, uti plerumque fit, promovendo. His inſiſtebant ij, qui ad ſervitia corporis domeſtica: mox ephebi centum, falconarij, & hortulani totidem, figuræ quadratæ tegmen ex holoſerico in capite deferentes. Agmen clauſit corporis Imperatorij cuſtodia militaris ſex mille Janizzarorum complexa. Proficiſcentem Sultanum utrinque per vicos urbis cives, atque opifices armati deduxerunt. Carpenta, ſed non multa conſecuta comitatum ſunt, pannis contecta; ad hæc ſella geſtatoria mulis impoſita, præſtantior binis levidenſioribus aſſociata, in Procerum refugium, ſive cùm cælum imbribus, ſive cùm ſolis æſtu immitius vocaret. Eodem quo exceſſerat Adrianopoli apparatu poſtea Byzantium quoque intravit.

Quatriduò poſt, ſextô nimirum calendas Septembris Orator Cæſareus Conſtantinopolim movit. Via, quâ incedendum fuit, lapidibus inſtrata eſt: atque à reliqua regionis planitie nonnihil ſublevata: triginta leucarum germanicarum ſpatio procurrit. Eam volantibus vexillis, & clangentibus feſtivè tubis ingreſſa

greſſa legatio ſub auroram, in meridie Hapſam pervenit: ſed caſtra metati in campo locum non adiêre, quòd ex lue contagioſa crederetur ſuſpectus. Die poſtero ſub ſecundam antelucanam digreſſi Babbam tenuerunt, inde per Vorgaſſ, & Karoſtraun in Ziorbi ſub exitum menſis delapſi. Clara hæc regio eſt ex memorabili prælio Selymi filij adverſus Bajazetem Patrem, contendentium de Imperij ſumma. Jura tamen paterna, & naturæ prærogativa, & leges, atque etiam Janizzarorum fidelitas Bajazeti palmam ſervarunt, qui filium ingenti præliô, auxiliareſque Tartaros hîc profligavit.

Calendis Septembris in valle patenti propè elegantem de ſecto lapide, brevem tamen admodùm, pontem ſubſtitêre. Secundâ Silebriam aſſecuti, cupreſſis primùm, ac perſicis, uviſque maturis, atque ab affluente mari piſcibus recreati hoſpites. Silebria degit in rupe ſaxea Ægei maris, quod Conſtantinopoli Helleſponto jungitur. Portum non inamœnum inter mœnia ac turres colonijs Romanorum celebres explicat. Hinc tertiâ pontem à pedum nongentorum longitudine vulgò *longum* ſubjerunt. Unus iſte de quatuor pontibus eſt ſecto lapide connexis, quibus mare cùm redundat, conſtringitur. Circum ampliſſimum

 in-

intuentibus offert, ſinumque vaſti maris in theatro exhibet capaciſſimum. Ædificia nec rara in gyrum, nec inelegantia dorſo pontis incumbunt. Hinc ad pontem alterum, qui quòd iſto brevior ſit, pons *minor* appellatur digredientibus terrâ marique aperitur area relaxando animo ac delicijs Sultani nata. Jam in portum ſubibat Legatio, & cominùs aſpiciebat Conſtantinopolim. Biduò ad comparanda, quæ regiam adituris urbem opportuna videbantur, inter progrediendum lentiùs circumſpexêre. Tertius iſthìc ab Adrianopoli moventibus ereptus morte eſt Juvenis antea Lutheranus, ſed ſub vitæ finem Eccleſiæ Matri reconciliatus, atque omnium ſuoque inprimis cum ſolatio ritè per Sacramenta communitus. Argumento illi ad palinodiam fuêre doctrina conſentiens, & miracula quibus ab Apoſtolicis hucusque temporibus Catholica Religio, ut binis in omnes adverſarios lacertis conſtanti robore ſe defendit. Ad littus maritimum tumulatus ſymbolum cœpit eſſe, quòd vana omnia ſint terrena, quibus mare foris inquietum continuos allidit fluctus; magis autem firma, quæ iſthæc elementa in cælo tranſcendunt. Duo alij per iter itidem amiſſi Catholici peregrinationem humanam cum æternæ felicitatis termino coronarunt. Curſor

interim Viennâ tertius languentes, fatigatosque plurimùm recreavit.

PARS III.

Orator Cæſareus Conſtantinopolim ingreditur.

Conſtantinopolim divæ Virgini à Conditore ſuo dedicatam ipſo ejusdem Natæ pervigilio Cæſareus Orator ſubijt. Feſto in urbem tubarum, ac tympanorum ſono, & explicatis labaris, omnique cum apparatu, ut in propria, & reapſe propria conceſſerunt. Nihil iter ad mœnia promoventes ſtitit cælum repentè ferrugineum, & ab Aquilone nubes; ac mox fulgetris & tonitru permixta tempeſtas. Dubiũ reliquerunt an hæc in hoſticum ſecum ipſi conſultò deferrent; an ponè victrices Aquilas iſta ex omine conſequerentur. Nemo declinavit diras nubium; quamvis in pallia involuti nonnulli ijs inſuper illuſerint. Quinimò Henneagius Comes de Winckelſea Orator Angliæ ſexaginta ſuorum ſubmiſit, atque è campo in urbem gloriam Auguſtiſſimi Cæſaris concomitatus conſtan-

ſtanter fuit. Adfuêrunt unà ex Chio & Milo inſulis, ex Pera, ſeu Galatâ vicinis, ex Scutari itidem,& Chalcedone Catholicorum non pauci, qui communem rei Chriſtianæ pompam auxerunt, & Legati Cæſarei à Septentrione in fines Europæ adventantis majeſtatem ſunt proſecuti. Hominum concurſui penè locus defuit. Vix plaga Byzantio propinquior,unde ad ſpectaculum non confluxerint complures. Sed o gaudium! quod ex Chriſtianistum maximè capiebant captivi! quàm amicos illi quondam tympanorum, tubarumque clangores læti audierunt! Exultare animis, atque in ipſis vinculis non meminiſſe exilij videbantur. Spes libertatis illos jam obliviſci præteritarum fecerat calamitatum.

Ante Ordines Reſidens ad Portam Simon de Renningen præcedebat inter Chiauſſ-Basſam, & Agam alterum à Chaymicano delegatum conſpicuus: centeni conſequebantur Chiauſij, & Czorbaſſæ cum Janizzaris ducentis in augmentum pompæ ab eodem Chaymicano, ſeu Gubernatore urbis ſubmiſſi. Spectavit è feneſtra apparatum Chaymicanus ipſe, vir inter ſuos exiſtimationis ampliſſimæ, & ante hac bis Purpuratorum Princeps, Sultani Muratis filiæ connubio junctus. Spectavit & iterum Mater Sultani, cum reliquo gynæceo

re-

regio, præter cæterorum Ordinum, ac hominum multitudinem innumeram.

Quatriduo poſt Chaymicam Gubernator urbis, & Imperatorius locumtenens ſubmiſſis triremibus binis nonagintaſex remorum, univerſam legationem in adverſum Euxini ſinum, ubi is ab Helleſponto in fretum redigitur, deduci fecit. Agebant remiges quadringenti octoginta ſex, ad remos ſingulos quini aſſidentes, Chriſtiani omnes, atque ut plurimum Rhuteni, aut Poloni, per vices concatenati. Utrinque ſpectaculum triſte, eoque triſtiùs, quòd, cùm cura domeſticorum potiùs angeret, de liberandis iſtis alienigenis exigua ſpes relinqueretur. Triremium apparatum ſupra expectationem magnificum, nec â memoria hominum ſibi viſum indigenæ teſtabantur. Amœniſſimum illud, quòd ad datum navigationis claſſicum machinis æneis ex utraque triremium vicinæ onerariæ omnes, nationum ex orbe toto inibi negotiationis causâ commorantium, quarum aliquæ quadraginta, aliæ ſexaginta tormentis bellicis armabantur, æquâ comploſione reſponderint, atque hoſpites conſalutaverint. Progredientes altiùs triremes navigia Turcica, & propugnacula ad Angiportum ex adverſo invicem occurentia majoribus fiſtulis, plauſu, cæteroquin ſoli Orien-

tis

tis Monarchæ deferri conſueto, adfremuerunt. Mare ipſum credidiſſes naturam, non ſitum commutaſſe, quando inſtar cœli turbulenti mugire, tonare, & ignes protrudere undique per dimidium horæ ſpatium circumſpiciebatur. Symphoniæ varietas velificationi addita; labarorum per äerem luſitantium amœnitas; mali & antennæ pretioſis inſtratæ aulæis, ipſumque quod erat adverſo vento remigare jucundiſſimè afficiebant. Verùm non abfuit, ut aſſolet, â portu periculum. Jàm jam appulſuræ erant naves in Gubernatoris pomœria, quando adverſi fluctus, atque incumbens ab antenna ventus collidere utramque fecerunt. Altera triremium in Prætorianam impacta, quâ primores vehebantur partem puppis vulneravit, ac duorum ab ea cubitorum lignum excuſſit, nec revelli â latere vulneratæ per importunitatem ventorum poterat. Inopinatâ navium collisione nulli amplius, quàm maris inexperti trepidârunt: ad capienda quiſque ſecuriora animum, fortunamque applicabat. At Orator Cæſareus, cui ſimilium periculorum genius non erat ignotus, loco ſtetit immobilis, aſſurgenſque interdum actionibus animiſque fluentium Cynoſura & ſpes fuit.

Perfunctos periculo tempe Gubernatoris exceperunt: Scaphis viginti quatuor per nau-

tas Sultani albis inveſtitos ac croceo conte-ctos, in littus expoſiti ſunt. Sumptuoſis ibi epulis honorati; â dapibus ad gentis muſicam, & hilaria in ſuperius conclave evocati aſcenderunt. Inſtrumentorum illic nomina æquè, ut artificium minùs apud noſtrates nota ſunt; illis Kemangi, Neſij, Nicaræ dicuntur: nobis repræſentarent Satyrorum fiſtulam, cymbala, fidiculas ſed unius chordæ, & baculum in crucis formam expanſum, cavum intus capiendo äeri. Senecio cum puſione ad horum concentum choreas agebant. Quibus quatuor juvenes ſucceſſère velati nigris, ſcuta & bacillos præferentes manibus, pyrrhicam, ut videbantur ſaltaturi. Hos puer excepit, orbem digito & pilam gyrans, quam ſubvolantem in altum, ore, naſô, fronte identidem recipiebat. Scenam ultimam ſenex ludificator apparavit: motu circulari continuo inexpectata vaſorum genera, copiam vitrorum, lancium, vaſorum aquâ redundantium, atque etiam ſaltatriculam rivalem è toga, pedibus ante protrita, expeditiſſimè producebat. Accuratè nihilominus univerſa obſervantes ſpectantium oculos fefellit, atque in ſuæ ludificationis admirationem rapuit. Fuère qui arte ſupra humanam per præſtigias, & magiam adeò repentinas rerum tàm multiplicium, quaſi è nihilo productio-

ctiones confici cenſuerint: Sed nimirùm ita ſolent ij, quos aliquid pudet ignorare, quidquid neſcierint præter, vel ſuprà naturam dicere. Viciſſim muſicæ Europææ delicias experturus Chaymicanus deſiderium præſetulit ſtructuram organi, & artificium fiſtularum illic animatarum inſpicere. Nec mora, repræſentata omnia, atque ſelectiſſimus illico concentus habitus eſt guſtui avidiſſimo Gubernatoris. Reduces ab illo in urbem caſtra maritima, atque ex centro Helleſponti turris virginea pari tormentorum plauſu comitata ſunt: Nulli legatorum aſſeverabant Byzantini, quod recordari poſſent, conſimilia honoris, officiorumque genera fuiſſe impenſa.

Per eoſdem dies legatione acquieſcente, dum redux propediem Sultanus ſalutaretur, nonnullis Chalcedonem excurrere placuit. Occaſionem & animum fecerat Illuſtriſſimus Caſanova impoſterùm ad Portam futurus Reſidens. Invitabat eò locus à celebri Catholicorum concilio clarus, atque à Sanctorum Martyrum complurium, & imprimis *Euphemiæ* Virginis memoriâ ſacer. Secum duos è Societate JESV Patres Caſanova mediocri ſexremorum lembo mari intulit; ac quamvis die conſtituto ſolventes è portu, vi fluctuum, & tumore maris rejecti in littus Galatæ eſſent,

poſterâ tamen die cœptum expeditiùs iter confecêrunt. Chalcedon Bythiniæ metropolis eſt juxta Boſphorum Thracium ex adverſo Byzantij conſtructa. Cæcos olim hujus regionis incolas vocitarunt, quod nobiliorem, commodioremque ſitum ex oppoſita parte pro condenda urbe deligere neglexerint, quem poſtea Byzantini inſederunt. Subductâ navi vile oppidulum pro metropoli Bythiniæ ſeſe obtulit, triginta circiter domunculis congeſtum, ſine mœnibus, ſine turribus, ſine reliquis, quæ urbem multis nominibus famoſiſſimam olim conſtituerãt. Unica ibi ædicula ſacra Schiſmaticorum ex Græcia, exiguo inſuper ſimilior hoſpitali, quàm templo: nam grabatis ſtramineis, devotionis cauſa, an ſanitatis, sterni infirmi illic accumbebant. Cæterùm amœniſſima circum vicinia liquidò comprobat fuiſſe Urbem dignam olim concilio Oecumenico quarto, quo ſexcenti triginta Patres anno Domini quadringenteſimo primo ſub Marciano & Adelphio conſulibus, & Leone I. Pontifice convenerant, atque Eutichetis, & Dioſcori hæreſes condemnatæ ſunt. Opportunitas præterea ex vicinia Conſtantinianæ urbis, à qua tredecim duntaxat ſtadijs diſtat, commodam cõcilio cogendo aream deſignabat. Chalcedonem quippe facilis ab omni orbe Chriſtiano

ano confluxus fuit; nempe quæ in veſtibulo *Aſiæ*, & finibus Europæ breviſſimô maris trajectu diſcreta pateret undique. Sed nimirum mapalia in urbes, ac viciſſim degenerant: habentque ſua cum Imperijs etiam civitates incunabula, & infantiam; habent juventutis florem; habent robur ætatis confirmatæ; neque demùm fatiſcentis, atque in ſeipſum prolapſi ſenij ſua viciſſitudo eisdem deeſt, in quam non tyrannorum & hoſtium duntaxat ferociâ, ſed vitio communis rerum creatarum cum homine mortalitatis ſuo modo & ipſæ collabuntur. Paſſa Martyrium hic loci fuerat Sancta Virgo Euphemia, cujus honori Patres, Nicæâ avocati ob tumultus bellicos, ſumptuoſam Baſilicam extra urbis mœnia à fundamentis, communi Chriſtianorum impensâ erectam dedicarunt. In hunc tamen diem nec rudera fabricæ ejus ſuperſunt, nec veſtigia Virginei triumphi: niſi quòd ſub rupe præfracta duodecim lapideis gradibus inciſum extet ſepulchrum ad littus, præcluſum muro, ſed ſpecie indecorum, & paluſtribus nunc tantùm ranis alveum innatantibus ab aqua ſtagnante, & impluente cælo accomodatum; quod an Marciani, & Pulcheriæ in Chalcedone magnificentiam, an Euphemiæ Baſilicam, an obvium aliud præſeferat, non liquet.

Oſſa nihilominùs glorioſæ Martyris in Patriarchali Conſtantinopolitana aſſervantur. Ædes hæc nec ampla nec auguſta, nec ſumptuoſis ut quondam aliæ ibidem ſubſtructionibus nitet. In tres ſed perexiguas diviſa naves ligneam mediam, laterales limo oblitas præſentat. Subſellia habet chorus templi viginti quatuor pro decantandis horis comparata albo marmore conſtratus. Quà ingreſſus patet à parte dextra de cupreſſo tribus ſuffulta gradibus lapideis Patriarchalis ſedes eminet: ex adverſo humiliores aliæ ternæ rubro panno inveſtitæ adſtant pro Hieroſolymitano, Alexandrino, & Antiocheno fratribus, itidem Patriarchis. Calogerorum Primas uno gradu inferior ſedem præterea hic obtinet, ſi quando Græcanicæ Eccleſiæ ſynodus cogatur. Poſticum ad oſtium templi, perſimile eſt clauſtrali Synagogæ Judæorum ſipario, in quo fæminæ, & ſexus muliebris inter cancellos supernè eminentes occultatur. Patriarcham ſua in ſede horas cum ſex clericis decantantem de comitatu nonnulli deprehendêre, à canitie ac ſymmetria corporis, totoque aſpectu Præſulem omninò venerabilem, à litteris quoque, & humanitate, niſi aliud obſtet, ſuâ infulâ digniſſimum. Bacillo prælongo innititur: habitu Baſilianô non pretioſô, ſed decenti induitur.

Ro-

Rogatus ſacra lipſana, ſi quæ exſtarent per ſuos exhibere hoſpitibus, benevolentiſſimè annuit, & geſtu affabili, ad Sanctorum Martyrum Salomonis, Theophanæ, & Euphemiæ reliquias inſpiciendas dimiſit. Corpora ſunt integra; vetuſtate tamen, & cœli intemperijs deſiccata: flavo ſericeo velo involuuntur: in pervetuſtis ligneis ſarcophagis ad angulum templi, quà ingredientibus patet recondita, ferreisque clathris obſepta. Debitâ cum veneratione ſacra lipſana ad ſuccenſas faces coronulis, & imaginibus in memoriam, reverentiamque admotis colverunt advenæ non ſine animi guſtu ſingulari.

Et quia memoria Sanctæ Euphemiæ occurrit, liceat prodigium ad ejus ſepulchrum editum Chalcedone recolere, noſtris quoque temporibus opportùnum memorari. Controvertebatur ipſo Oecumenici concilij tempore inter Orthodoxos, & Eutychianos ſuper integritate decretorum concilij. Subſannabant Euthychiani conſtanter decreta concilij, ejuſque auctoritatem non veritate, ſed potentiâ Imperatoris niti: contrarium tuebantur Patres fulti rationibus divinis, authoritateque tot Præſulum, & miraculis inconcuſſam infallibilitatem ſuæ fidei comprobantibus; Inſuper Anatolius novæ Romæ, ſeu Conſtantinopoleos

Epiſcopus litẽ hâc diremit ratione,utZonaras 3. Annalium refert ad verbum: Scribatur veſtra de fide ſententia in uno libello, & noſtra in altero, atque ambo in loculo glorioſæ Martyris Euphemiæ collocentur, & hujus judicium eſto utri rectè an perperam ſentiant. Hæc cum hæreticis æquè placuiſſent, libelli ſcripti, remoto lapide,qui loculum claudebat, pectori Martyris apponuntur, & lapis in ſuum locum repoſitus ab utraque parte ſignatur: Dehinc ſupplicationes fiunt, & preces ad Deum pervigiles, ut demonſtret, utra ſententia ei cordi ſit, & quæ rejicienda videatur. Poſt triduum conveniunt,Imperatore etiam præſente: aperto loculo (rem mirabilem) libellus Hæreticorum ad pedes Martyris invenitur, alter in manu ejus dexterâ, quam extendiſſe præterea fertur ad Imperatorem & Patriarcham, ac libellum eis porrexiſſe. Itàque rectæ ſententiæ aſſertores plaudere; adverſarij verò demiſſis vultibus, & præ pudore caligantibus abire, quidam etiam veram ſententiam amplecti cœperunt. Ita Zonaras. Non procul â ſarcophagis Sanctorum Martyrum in arâ inauratâ ſpectatur pars columnæ, ad quam flagellatus eſt Chriſtus; ſeptem propè ſpithamas eminet,marmoris nigri albis interfuſi venulis eſt opus. Veritatem

ritatem rei traditionibus comprobare Calogeri, qui deducebant, nitebantur.

Totum templum Patriarchale ad inſtar ruralis Eccleſiæ compoſitum eſt. Altare quatuor imaginibus conſtat, Chriſti inter Prophetas, MARIÆ Majoris, Joannis Apocalyptici, & ſancti Georgij. Tabernaculum ibidem ſuper menſam exiguum: liber Evangeliorum argento cultus; ciſtæ pervetuſtæ duæ, & utenſilia in eis pauca divinis peragendis congrua viſuntur. Locus Sacrificio deputatus fuligine obducitur adeò, ut inſpicere horrori ſit. Aditus per quem conſecrata hoſtia populo adoranda exhibetur, ſericeâ cortinâ contegitur. Ædes hæc in Patriarchalem evecta eſt, poſtquam Sultan Mehemet Baſilicam Sanctorum Petri & Pauli ereptam Græcis, in Moſcheam defœdavit.

Alijs diebus pyramides & coloſſos, quorum alibi apud Hiſtoricos frequens memoria eſt, per otium inſpicere licuit. Digna notatu eſt columna ſerpentina, à cuſpide in tria capita ſerpentium diviſa, Theodoſij *hiſtoriata* dicta, verſibus Græcis & Latinis eloquens; Dignus viſu obeliſcus, ſed ex incendijs perpeſſis ruinam minitans in Hyppodromo; in quo prætereа ſtat Moſchea magnificentiſſima Solimanni, victrices ejus palmas commemorans. Dignum prætereа eſt ſimulachrum ſpectari, magnitudine

tudine, & artificio ſumptuoſo â Conſtantino poſitum ſuper porphyreticam columnam, cui ipſe nomen ſuum olim indiderat.

Non procul inde templum Sophiæ, ſive â divinâ Sapientiâ, ibi adorandâ; ſive à ſancta Martyre ſic dictum, â Juſtiniano Cæſare conditum aſſurgit, vetuſtate venerandum, ſtructurâ ædificij & formâ regium, dignum Majeſtate, & nomine tanti Fundatoris: nunc indicium primævæ religionis exhibet nullum, & tot inter, quibus coruſcat, lampades, tenebras Mahometicæ ſuperſtitionis miſerè offuſas luget. Porticus Occidentem reſpiciens quinque oſtia è marmore complectitur; in medio fornicis pictura eminet Judicij ſupremi; adgeniculantis item ſanctiſſimæ Matris; ſed læſa plurimum ac deformata. Hic quoque Anno 381. habitum fuit Oecumenicum Concilium magno etiam in pretio, ac veneratione exiſtens apud Catholicos. Frontiſpicio Orientem verſus magnificentiſſima cuppa ſupereminet, futura vix alibi ſecunda; ſectis è candido lapidibus aforis fulcitur, è quibus etiam templi univerſi ſtructura conſiſtit. Interiores parietes â moſaico opere, & elegantiâ plurimùm commendantur. Ara pro Sacrificijs nulla, imago nulla. Cathedra paucorum graduum portæ meridionali apponitur. Rectè Eccleſiaſtes, dum Moſcheam

ſcheam hoſpites ſubirent, ad ducentos ut plurimùm viros implicatis inſidentes pedibus faciebat verba,tono æquali, nec admodum clamoſo: Sedilia & reclinatoria ab omnibus fanis Mahometicis proſcripta exulant: Nefas ibi ſomno, aut commoditatibus corporis indulgere,cùm ſacris & divinis opera impendenda eſt. In centro templi ambitus nobilis cætero correſpondet ædificio. Chorus ſingularis â tergo columnis innititur, qui formam privati oratorij principum Virorum præſefert,porticibus innexus. Marmor, quò ſtratum odéum eſt,tapetibus ſelectis induitur; ſubobſcuri tamen anguli ſtoreis conteguntur. Immenſam lampadum vim pauciores Kandilgi, ſeu vigiles obſervant; ut & decor & mundicies,ardensque lychnus ad majeſtatem ædi conciliandam conſerventur.

Ad ſiniſtrum Sophiæ latus paſſibus ferè viginti circumſtant ædiculæ, rotundæ figuræ, marmore candido conſtructæ, Sultanorum Mauſolea; non enim fas eſt, cadaver ullum Moſchèis inferre: In his tot proſtant vacuæ tumbæ nigro panno velatæ, quot proles maſculas Sultanus ſuſcepit; & hæ â dexteris; â ſiniſtris Matrum cum fæminea ſobole. Illis ac Patri turcicus pileus, ad ſexus diſcretionem ſuperimponitur. Corpora cryptis abdita delitescunt.

liteſcunt. Aſſiduè apud hæc Mauſolea oratur à conductis ad iſtud comprecandi munus, ex fundatione magnifica, perpetuaque; quò fit ut ipſi Turcæ â mille & amplius annis uſurpatam ab Orthodoxa fide piam conſuetudinem pro defunctis orandi, naturæ lumine, &ab aliquâ legis tàm veteris, quam novæ concordatione hauſtam ſervantes, poſſint eſſe hæreticis noſtri temporis argumento, quod bonũ, &ſalutare ſit, pro vitâ functis preces ad Deum fundere. Juxta Imperatorum ſepulchra obſcurum antrum clauditur; templum fuiſſe quadrati lapides perſuadent: illo feræ belluæ ſtabulantur, leænæ tres cum leone ligneis cancellis ſeptæ, (leo nec formâ nec magnitudine æquat Auſtriacum ad Viennam) vulpes itidem ternæ, totidemque lupi deſtinati in prædam leonum, cum Sultano placuerit. Lyncem, tygridemque ſtaturæ mediocris, albis nigriſque maculis variegatam, eodem ergaſtulo concluſas tùm tenuêre cum fele Zibetho, per omnia meli, ſeu taxo perſimili; niſi quod hic longior, taxus corpulentior exiſtat.

Præteriri non potuit quin inviſeretur aula magni Conſtantini: Regia hæc ad Occidendem mœnibus adhæret; nobili & ſublimibus operibus inſtructiſſimo olim colle locata: tribus ſubſtructionibus moles aſſurrexerat: altius nullum

nullum in tota urbe domicilium. Palatij coronis ſuperſtes marmore inciſo elaborata tectum fulcit, ventis & imbribus pervium. Vaſtæ & eminentes præter ſacræ antiquitatis ædilitatem è pario lapide feneſtræ liquidò demonſtrant, cujus palatij ornamenta fuerint, cujus aulæ etiamnum ruinæ ſint. Propylæum decem columnæ magnitudinis & artificij dignitate conſpicuæ ſuſtinent: ejus in angulo deſolatus, & ruderibus ſcatens puteus mœret. Pergula è centro prominens univerſæ urbis conſpectum explicat. Columnis conſtat auro paſſim illitis, cujus radios color viridis etiamnum animat. Grandiora lapidum fragmenta, cum primis fabricæ ornamentis, ac fulcris cæteris in Moſchèas translata ſunt: ſola tantæ molis veſtigia, atque ex ungue cadaver nunc reſtat. Muro extimo meridiem verſùs inſertum parieti viſitur Oratoriolum hominibus recipiendis ſex opportunum: Anguſtia loci perſuadet privatæ illud pietati Conſtantini ſacrum fuiſſe. Squallet turpiter hæc Imperatorij operis majeſtas nunc inter arbuſta, atque hederas, & ſive cæli injurias, ſive immanitatem barbarorum, ſive Chriſtianorum incuriam accuſes, non abſimilem cum tempore rebus cæteris, utcunque floreant, internecionem minatur.

In

In deſcenſu clivi defluentis in Euxini brachium porta perampla, ſed obſtructa muro conſpicitur: fama fert limitem hunc fuiſſe aulæ magni Conſtantini. Ad dextrum portæ latus adſtat Angelus â candido & eleganti marmore effigiatus, ſtaturâ celſior, ac virilem præſeferens, & inſertus muro. Ad lævam Deipara viſitur proportione priori conſimilis, atque ab Angelo conſalutatam referens. Rarum profectò, & ob indubiam antiquitatem peridoneum confutandis divorum contemptoribus argumentum, etiamnum â tanto fidei Orthodoxæ excidio ſuperſtes.

Ad radicem clivi ædes S. Georgij, Baſilianorum, occurrit. Solis iſtis Religioſis, ſed Schiſmaticis ſua domicilia Byzantij ſalva ſunt. Tria millia imperialium quotannis coguntur pendere, ut municipij jus obtineant; & contra Patriarcham loci pro Hieroſolymitano, cui ſubjacent ſe tueantur. Inſpecta quæ viſu digna occurrerant: primas tamen ubique egèſtas tenebat, ſed humanitate in hoſpites concomitata; qui viciſſim in gazophylacium, moti indigentiâ, ſeſe liberales infuderunt.

Ipſô, quô Cæſareus Orator Byzantium feliciter appulerat, die, Patres Societatis IEſu Galatæ commorantes, mari trajecto, amiciſſimum hoſpitem ſalutaverant. Habent ij Peræ

(no-

(nomen cum Galata illi loco propè continuo comune)Reſidentiam actemplum,nuncCatholicorum unicum: nam fortuito incēdio reliqua omnia cum vaſta oppidi parte in cineres anno ſuperiori redacta fuerunt: nec licet ſine ægerrimè impetranda venia,& præcipuè ſumptibus ad eàm ipsā concedendâ prævijs,nec niſi copioſis,collapſas,præſertim ſacras ædes reparare. Grata Patrum officia perhumaniter acceperat Legatus, & viciſſim inviſendis illis feſtum Sanctorum Coſmæ, & Damiani deſignavit: quo ipſo privatam eorundem de confirmatâ eo die per Apoſtolicam ſedem Societate, celebritatem præſentiâ ſuâ & in æde ſacrâ modis muſicis adaugeret. Ampliſſimæ iſtud gratiæ præſtitum in ſe monimentum ultro ipſi confeſſi ſunt; quòd unos ſeſe præter Sultanum, acProto-Vezirium, itemque Oratorem Anglicanum dignatus fuerit primos inter inviſere; ac plurimùm ſolatij, cæteroquin deſtitutis ab humana, felicique ſociorum alibi, ac Chriſtianitatis reliquæ conſortione conferre. Latini & Græci idiomatis ibi duntaxat rudimenta teneræ ætati explicantur; nec altiùs per civilem potentiam prohibitis licet. Diverſarum nationum linguis quantùm induſtriâ ſuâ Patres, & memoriâ adoleſcentes perfecerant, ſalutatus fuit Legatus. Inde ad divina digreſſus, cœ-

lum

lum odeo intuliſſe videbatur ; adeò ſuprà temporum anteà, & loci conditionem auguſtè omnia ſacris myſterijs conſonabant. Divertit denique etiam in triclinium, & religioſæ frugalitatis cupediâ paſtus hilariter, munificentiæ ſuæ documentum levamini neceſſitatum domeſticarum præterea valefaciens ſubminiſtravit. Eoſdem non multò poſt per Confeſſarium pari benevolentiæ ſignificatione ſolatus eſt, cui tùm ipſi confidenter enarranda Oratori ad providendum, ſi quod remedium allucere poſſet, ſua pericula, preſſuras, contemptus, egeſtatem,perſecutiones, exactiones iniquas, quotidiana vitæ, fortunarumque diſcrimina,& quæ his confinia ſunt, copioſè enumerârunt; quibus poſtea pro rerum ſtatu ac poſſibilitate,quantùm licuit, fuit proviſum.

Cæterùm pietatis Chriſtianæ nullam Conſtantinopoli partem ſuis in ædibus omitti Excellentiſſimus Orator paſſus eſt. Nequidquam timidè diſuadentibus quibuſdam, quos mundi timor, ſuprà Dei amorem incitabat, voluit ſolemnioribus Dominicæ, ac Feſtorum diebus conſueto Miſſæ Sacrificio publicam ad omnes de comitatu explanationem recurrentis eâ luce Evangelij ſubjungi. Improbare nemo,quin &comprobare cœpta ipſi infideles ſunt animadverſi. Erat pulchrum ad domeſticos exem-

plum

plum, Illuſtriſſimos de comitatu identidem Sacrificanti aſſiſtere, & Angelicum obire miniſterium: alios alia fervoris Catholici opera, ſuæque perfectionis adminicula conſtantiùs frequentare: alios pro ſtudio vocationis ſuæ, alienos â Religione Orthodoxa laceſſere quà argumentis, quà ſolicitationibus, ut & manus dederint nonnulli, & confirmati ſint imbecilliores. Per eos quoque dies â Porta, & Gubernatore diploma impetratum eſt; quo adducti ab Auſtria Patres, quorum unus Perſidem, bini in Chinas meditabantur, ampliſſimâ cum facultate, libertateque per Imperium Sultani cœptum iter promovere jubebantur. Valuit tantum Oratoris Cæſarei apud Chaymicanum auctoritas, pro eisdem ſoliciti; ut Baſſam ille deſignaverit, quò cum ad extima Perſiæ proficiſcerentur; qui non minore cum humanitate, ut in ſuam Caravanam, ita ad omnem commoditatem gratuitò conferendam eosdem invitavit. Verùm uni ipſorum tantummodò frui licuit hâc opportunitate: alter quippe iter ingreſſus, ægritudine adverſùm motâ nequidem in annum ſequentem, cum tentaſſet, progredi potuit, & ex portu ipſo ſoluit in cælum. Alter eadem ex cauſâ ſiniſtram profectionem expertus in Provinciam, unde venerat, remeavit.

Communi huic cum divinis conſenſui adſcribi debuit, quòd multis paſſim perfuncti terrarum, undarumque periculis, ac præſertim in centro ſuſpecti hoſtis, quia toties reconciliati, proſperè ſatis univerſa publicè, privatimque ſine graviore cujusquam nocumento evenerint. Transfretaverat Peram verſùs Marchio Durazzius, terram â Genuenſibus ſibi conterraneis quondam poſſeſſam. Dum inde reverteret cum ſociis, ac Sacerdote de comitatu, tam atroci ex inopinato tempeſtare circumfuſa fuit cymba, quâ vehebatur, ut ſpei, vitæque, aut nihil, aut parum ſupereſſe videretur. Nam præter copioſum, & vehementiſſimum imbrem grando inuſitata tanto impetu deferebatur in remiges, ut viſum, manuumque omnem propè uſum eriperet; Navicula non tam turbati äeris, marisque indomitis furoribus, quàm divinæ voluntati committebatur; Nec prudentûm judicio, niſi actum erat de ſingulis, niſi bonitas divina in futura tempora navigantes etiamnùm reſervaſſet. Hùc atque illuc ſine lege, non tamen ſine providentia Omnipotentis rapiebantur. Navigium magnâ ex parte imbribus, & fluctibus repletum, nutabat partes in omnes. Ab hoc tamen diſcrimine, ipſis, qui â longè proſpectabant, ſtupentibus, ejecti ſunt in littus; ſed & hic è ſcylla

in

in charybdim. Declives enim per urbem plateæ, tantam effuderant ab illa mare verſùs aquarum vim; ut cingulo tenus adverſus novos fluctùs in vicina mapalia enitendum reducibus fuerit, dum concuſſi grandine, imbribus compluti, & laſſi viribus, ubi detumuerant torrentes, ad comitatum reverterent.

Inter demortuos Byzantij è comitatu præſertim quaternos, non una eademq; ſingulis ad portum æternitatis profectio fuit. Prior Caſparus Kinigsreiner Ingolſtadienſis, Muſicus præſtantiſſimus, Catholicis parentibus editus, Catholica inter Sacramenta vitam finijt: Alter Joannes Gœtz præclaræ indolis adoleſcens, ex Philoſophiæ curriculo ad curſũ æternitatis modico itineris peregrini intervallo præmiſſo evocatus; & ipſe à vocis amœnitate laudatus: nempe ambo muſicam, ut bene ſperatur, quam addidicerant in terris, apud ſuperos ad perfectionem cœli concentuum producturi. Tertius Hieronymus Faber Norimbergenſis â Luthero, cui â teneris aſſueverat, avocari non voluit, dum valeret; cauſatus amicorum aſſiduam & malignam domi ſocietatem, quorum affectibus, terroribusque, ut compedibus tenebatur in errore. Neceſſitas phrygem ſapere, & mors ſeria tractare docuit; nempe à quibus ſolis frequenter efficitur, ut caduca æternis, &

unus hæreſiarcha conſtanti tot Confeſſorum & Martyrum ſententiæ non amplius præferantur. Quartus idololatra quondam Matthæus fuit, oriundus è Chinis, rationis rectæ claritatem cum fidei lumine jam olim complexus. A ſuſcepto Baptiſmo in obſequijs, & amore Patrum Societatis conſtans vixit; quin etiam è patria in Europam proficiſcentes comitatus redibat, domeſticis enarraturus, quàm numero locupletem populum, quàm auguſtum dignitate vidiſſet, conſpirantem omnem in condemnanda ſuperſtitione. Innocentia hominis ac vivendi methodus ipſis miraculo poterat eſſe, & verò fuit, Europæis; qui omni virtutum, ac politioris vitæ genere excultum, & exquiſitæ bonitatis, ac pietatis vivum exemplar admirabantur; capiebantque exinde argumentum, quantæ efficaciæ ſit, ad omnem elegantiam ſeria & conſtans in Chriſtianam legem ac mores affectio. His in portum beatitudinis feliciter deducendis ſtrenuam operam illi, qui ſacris de comitatu præerant, navârunt. Quorum æquè ſtudium enituit in componendo ad probitatem populo domeſtico, litibusque animorum quæ incautis intercurrebant ſedandis; ut Excellentiſſimo Legato perſuaſum fuerit, in ea geniorum & nationum varietate, & copia, relinqui ſibi nihil, quod emendare vellet, aut

poſſet,

poſſet, quando ſingula iſtorum piâ providentiâ in fines optimos inclinarentur.

Interea à præſidijs maritimis, quæ coram inſpexerat, redux Sultanus pari, quâ nuper Adrianopolim exiverat pompâ, Byzantium intravit. Numerus intra ordinem fuit explicatior, & ultra nuperum populoſior. Finitimi Anatoliæ acceſſerant, mille circiter ferreâ ad pectus loricâ obarmati. Ductabant hi ante ſe triginta tres minores æneas machinas: tùm ſex millia Janizzarorum, ac Proto-Vezirij aula ſucceſſit. Poſt hos aquariorum turba, dimiſſis interdum ordinibus quaquaverſùm obequitantium, qui aridis faucibus, repletos frigidâ utres in potum aperiebant. Sequebatur Chiauſſiorum Begus, eò, quòd de proſapia Mahometi originem trahat, vexillô viridi, nemini præterea, quàm ſic genitis, uſurpando, uſus. Hunc Cadi (ita vocantur ſapientes in lege Alcorani) comitabantur, è quorum numero primipili duo Magnum Cancellarium Defftardar, & Theſaurarium antecedebant. Sequebantur quatuor Vezirij, ſacrorum Præſes Muffti, & purpuratorum Primas. Equis, & dromedarijs Alcoranum deferentibus ſucceſſit Sultanus *Mehemet Chan*, ſtipatus utrinque binis Silachtanis, ſeu familiaribus, acinacem, & penulam Imperatoriam deferentibus. Spa-

hy Baſſa equitatum ductabat conſequentem, quem theſaurus & impedimenta camelis impoſita claudebant: Poſtero ab adventu die in aggratulationem de reditu Sultani portus omnes maritimi feſto machinarum bellicarum fremitu intonuerunt.

Die tertiâ, quæ erat quartadecima Octobris, poſtquam appulerat Sultanus, paucis devectus navigijs ſua tempe, & viridaria, oppoſita diverſorio Cæſarei Legati, inviſit. Remiges candidi, ſed rubro verticem contecti remos prætorianæ viginti quatuor agebant. Sub conopeo aſſidebat Sultanus uno alterove de familiaribus adſtante de genibus. Ad numerum impelli remos, & promoveri fluctum ſine moleſtiâ dexteritas curabat. Ubi tormentorum exploſio multiplex adventum Principis indicaſſet, tubas campeſtres ac tympana expediri Orator juſſit, qui prætervectum eximiâ, quâ poſſent, arte conſalutârent. Placuiſſe obſequium Sultano indubitatum fuit: nam remigari lentiùs deinceps, & ad oppoſitum clangentibus littus illico appelli de induſtria viſum; nec defuerunt diſtinendæ longiùs Majeſtati tubicines, quæ ultrò ad capienda obſequia, quibus delectaretur, ſe obtulerat. Aliàs quoque in adverſo littore ſe conſpiciendum dedit, pariter cultus; cum triginta octo

trire-

triremes per rigidiorem cœli inclementiam in hyberna reducerentur, partim Euxino, partim mediterraneo adſcriptæ; atque illas ipſe ſuos inter Purpuratos & conſuetas machinarum exploſiones inſpexiſſet.

Primus à reditu Imperatoris Proto-Vezirius Oratorem Cæſareum, triremibus ſubmiſſis, ad alloquium ac palatinas cupedias invitavit. Deduxerunt Legatum cum binis triremibus frequens lemborum turba. Omnia ad faſtum, & pompam ſuperbiſſimè compoſita, & ut dignitate aliàs, ita in præſens magnificentiâ ſuperatus, de quo anteà, Chaymicanus. In angiportu fixæ anchoræ & excenſio facta eſt. Cum Oratore Vezirius, ac præterea Mufſti,& magnus Cancellarius menſæ accubuerunt, ac finitis epulis pari cum authoritate ad ædes remiſſi hoſpites. Alios quoque Purpuratorum & Procerum alij de comitatu, ut occaſio ferebat, paſſim, ſed rariùs Orator, inviſere ſoliti erant.

Accidit, ut quoniam dignitate apud ſuos ſacratiore præfulget religionis Antiſtes, eum quoque ſibi aliquando inviſendum duxerint. Aulam non inelegantem Muffti incolit, & capacem pro conſuetudine Magnatum. Interius, quod alloquio deſtinatum erat conclave, ardenti foco inſtructum fuit, nullis per gyrum

aulæis ornatũ. Soli ad nudos parietes, iiq; perpauci hærebant codices: juris, ut proclive cogitatu fuit, Otromañici, aut legum Mahometanarum Digeſta, & Codex: Pavimentum tamen conchyliatis inſtratum periſtromatis, unà adjectis ex auro & holoſerico pulvinaribus ſuperbè allucebat. Ipſe majeſtate, atque arrogantiâ tumens imperioſo ſupercilio, quam præſeferre geſtiebat, ægrè expedire per inſuetudinem, poterat humanitatem. Annis grandævum hominem notabat vultus: pilus & mentum profuſa jam incaneſcebant ex corvo: Frontem atra ſupercilia ampliùs aſperabant.

Ad feneſtram prior ex adverſo Legati conſedit ſupino propior, auſpicatus identidem colloquium nutu, & geſtu: Affabilitatem minimè nativam vehementiùs urſit, eamque ſtuduit, quâ poterat arte condire, propinato per viciſſitudines potu Chauè, & incenſis aloës per ſuos frequentari juſſis. Oblato demùm muneri arriſit, & fauſta comprecatus ſub ſiparium conclavis, è quo prodierat, ſeſe, & ſecum ſcenam ridiculæ poteſtatis, quam ſpectatoribus exhibuerat, recepit.

Quia de Pſeudo-Sacrorum Pontifice mentio incidit, addere placuit nonnulla de Moſcheâ per Reginam Matrem noviter erectâ, & ſub penultimam Octobris, niſi verbo abutimur,

con-

conſecratâ. Sumptu planè regiô ſtat moles: Trienniô (ut fama fert) millionum duorum impenſis aſſurrexit. Galatam ex adverſo littore aſpicit: albo lapide per gradus in molem vaſtam erigitur. Verticis figura corniculata, feneſtris pellucida, lunam auro nitentem repræſentat. Cuſpides ac tectum omne cupro integitur. Pavimentum recentiſſimis tapetibus, diverſicoloribus ſericeis ex toto inſtratum, atque ideo nemini calceato patet. Amplitudo ædificij ac nitor dignam patronâ Principe majeſtatem præſefert. Partem templi dimidiam lapideus ambitus circumit, fultus marmoreis de candido, & atro columnis: latitudinem hæ ſedecim ſpithamarum: altitudinem cum baſe & coronide ſeptem orgiarum obtinent. Huic alter eminentior inſtat, ſub fornice de ferro confectus. Parietes coctis lateribus conſtant; porcellanarum in morem coloratis, varietate immiſſorum florum rariſſimâ depicti. Machina tota in celſiſſimam cuppam colligitur, quam fulciunt quaternæ moles, in ſinus totidem, quaſi ſacella excurrentes, luce amplâ per feneſtras immiſsâ clariſſimos. Lampades è tholo templi ſuſpenſæ tot numerantur, ut pluribus vix eſſe locus videatur: Oleum per omnes infunditur, atq; ellychnia colores varios repræſentant in decorem affectatæ ſanctitatis.

G 5 Certus

Certus numerus æditruorum, & cuſtodum perpetuò aſſiſtit, quibus aliud negotium non eſt, quàm mundiciem curare, & lumen diu, noctuque. Altare ibi nullum, aut quæ hujus vices obiret menſa. Attamen ad ortum ſolis in angulo parietis quinque grandiores è virgine cerâ candelæ paribus ex orichalco candelabris ſuperimpoſitæ viſuntur. Quem in finem hic locus ædis, & hic numerus luminarium deſignatus ſit, nondum liquet: Interrogati ſuper hoc æditui repoſuerunt nihil: ſive quòd ſuperbè non vellent, ſive quòd ipſi neſcirent. Cathedra in duodecim gradus ſublevata ſpeciem noſtrarum ædium aliquã præſefert, ac præterea vix aliud. A foris Occidentẽ versùs in amplâ quadratâ areâ fontana purificationi de more dicata, multis epiſtomijs aſſiduè manantibus inſtructa. Huic pari magnificentiâ proximum aſſurgit Mauſoleum funeri auguſtæ Walidæ olim dedicandum. Portam meridianam viginti quatuor rotundi fornices complectuntur, egenorum ſubſidio atque hoſpitalitati diſtributi: eorum ſumma & ima plumbo conteguntur. Humanæ certè induſtriæ nobiliſſimum opus eſt hæc moles, & immortalitate dignum, in quo quantumcunque curioſus oculus divagetur, ſemper ſupererit, quod laudet. At quo ritu, quibus cæremonijs encænia Moſchèæ

ſcheæ peracta ſint, penetrare palàm non licuit. Ex vicinia enim ſolus ingreſſus Sultanæ Matris, Conjugisque, quæ â vertice ad plantam velatæ erant, ac reliqui earum comitatûs ſeries ſpectari potuit. Rumore conſtitit, cantus & preces fuiſſe actui illi impenſas, quibus geſticulationes, & gyrationes corporum more barbarorum orientalium conjunguntur. His dæmonum obſequijs Chriſtiana quondam, nunc Mahometana Walida condere, dicare, encæniareque conſtituit locò veræ pietatis abominabilem Mahometis Moſcheam, quò profuſiùs ſuæ irreligioni ſerviat, eamque memoriâ illaudabili in probrum ſuæ perfidiæ mundo conteſtetur.

Cui attribui debeat profectus iſte rerum Mahometanarum quotidianus; an ſuperſtioſæ hominum perſuaſioni magis, quàm Orientalis Eccleſiæ infelicitati ex quo à Romana Matre ſejuncta eſt, dubitari meritò liceat. Certè per annos non admodum multos tàm indigna in una cæterarum principe ſede Byzantina irreligioſiſſimæ illic Chriſtianitatis acta ſunt notata; ut provocare meritò exitium, ſi quod ſupereſt ultrò videantur. His ipſis diebus Patriarcha, quem nuper nonnulli de comitatu convenerant pulſus ab æmulo fuit. Parthenius is erat, qui quod ante paucos annos exactio-

exactionibus pecuniarijs à Porta imperatis non ſufficeret, hunc viciſſim modò pulſum ære tùm locupletiorem, & ad Sultani vota promptiorem ſucceſſorem habuit. At Parthenius ab exilio ditior revertit, & repentino impulſu, adjuvantibus, qui largè donabantur Proceribus ſtravit nuperum ſupplantatorem, ac ſolium Patriarchale conſcendit. Sed nunc iterum ſeu infamiæ, ſeu potiùs reſti, aut carceribus perpetuis ſubtrahens ſeſe, profugus ad Angliæ Legati patrocinium convolavit. Ille autem perPortæProceres,& potentiam dominantis pecuniæ clero præſentatus juſſus eſt eſſe, quod minimè per has artes debebat. Nec aliàs mos obtinuit Patriarcham legendi, niſi in ſuffragia aurum vocetur; ex quo principatumEccleſię obtinet,qui profuſior eſt.Sumptibus iſtis ipſa orientalis Eccleſia cooperatur. Creando quippe Antiſtiti Primas Metropolites collectam indicit Epiſcopis, hi Archimandritis, hi rurſus Calogeris, ac demum Clero; nec plebs Chriſtiana ſeu Græcos, ſeu Romanos ritus ſequatur immunem ſe ſentiet. Huc matrimonialia, ſepulchralia, baptiſmalia conferuntur. Quod ſi pecunia deſit utenſilia miſeris, etiam latinis per græcæ Eccleſiæ exactores eripiuntur, aut ſi neque iſta ſuppetant liberi Chriſtiani,

ni, & Catholici, proh nefas! venales fiunt, vel abripiuntur in ſervitutem.

Verùm nupero eventu pejus eſt, quod hoc ipſo ſæculo currente Patriarchæ ſacroſancta ſubſellia, catholiciſſimis quondam inſeſſa vix Chriſtiano nomine cenſendi involaverint. Cyrillus Lucaris è Græcia oriundus Hagæ Comitis educatus, cum legato ejus gentis Byzantium appulſus interveniente argento, & auro circa annum trigeſimum æræ currentis in Antiſtitem ejus Cathedræ evectus fuit. Fretus fiduciâ infamis patrocinij homo nefarius non multò poſt cœpit quidquid antiquæ religionis fuerat, peſſumdare: Confeſſionem fidei edidit ad amuſſim Calvini placitis reſpondentem, nempe ne doctrina vitæ diſſentiret. Mirabatur Occidens unde Eccleſiæ Græcæ reſolutio tàm præceps, tàm ſceleſta. Nec defuit in Oriente medicina ſubitaneæ peſti. Eam ſucceſſores bini Synodo coactâ cum extincto Lucari ſtrenuè tumulârunt: Anno videlicet ſæculi nono Cyrillus alter Beroënſis, & quadrageſimo ſecundo memoratus Parthenius Epiſcoporum, ac Presbyterorum calculo ſuperinducta nefariè dogmata proſcripſerunt.

Septem præterea vix anni ſunt, ex quo Conſtantinopolim Hieroſolymorũ Patriarcha excurrerat ſedem cum Byzantina commutaturus.

rus. Erat ille Judæo patre oriundus : à teneris ſeu educatione, ſeu ſimulatione Chriſtianum hominem profeſſus : ſtudijs liberalibus excultum clerus acceperat, atque ex hieromonacho Sacerdotem fecerat : Metropolita demùm, ac Hieroſolymorum Patriarcha effectus ambire Primatum ſedis Conſtantinopolitanæ auſus eſt. Jamque voti compos eſſe cœperat delatus in urbem : cum mors, vindicias divinas dixeris, larvam furiæ detraxit, nec paſſus eſt Chriſtus filiæ, quamvis immorigeræ, hoſtem ſponſum conciliari, ac privatam injuriam perfidiæ publicæ antetulit. Itaque Conſtantinopoli periturus ſub agonem ipſum acciri rogavit urbis Antiſtitem, Metropolitas, & Epiſcopos, qui cogi poterant : his aſſociari petijt, Judæorum primates. Convenerant evocati : quando ipſe ex Judæis oriundum ſe, religione etiam Judæum eſſe, ſemperq; fuiſſe conteſtatus eſt, quidquid eoùsq; ſimulaſſet; mori deniq; Judæum ſeſe, velleque à contribulibus more patrio maleolidæ gentis tumulari. Ut dicto fidem faceret ſchediaſma propriâ manu exaratum à ſinu protulit, eadem quæ aſſeverabat confirmans, & idipſum Hebræorum primoribus, ſciens volensqne conſignavit. Eat nunc, & præter morem auſit Eccleſia Græ-

ca

ca tot recentibus portentis infamata vincere tamen velle Latinam fide !

Deſideratiſſimum , idemque triſtiſſimum viſu Byzantij carceres Chriſtianorum fuere. Binis detinentur potisſimùm ; quamvis divenditorum paſſim , ac raptorum numerus ingens captivam per urbem libertatem miserè circumferat. Duo illic ergaſtula ſunt ; alterum ad ſeptem turres dicitur, Bainum alterum. Primi de Societate JESU Patres , comitatûs univerſi , ipſiusque adeo Oratoris Cæſarei adventum ſeptem turribus nunciavere,ſtatim tertia poſt triumphalem appulſum die. Ducenti & ampliùs nobiles (& forte idcircò turres ipſis aſſignatæ) non ex una gente capti hîc attinentur. Brachium mediterranei ab Oratoris diverſorio emetiendum ad eos tendentibus fuit. Prima illis ſalutatio, reſpiratio à languoribus ; epiſtolæ familiarium allatæ reſuſcitatio â morte : ſpes libertatis jam ipſa ſalus erat. Locus hiç ad extimum urbis murum poſitus eſt , ubi veterum Romanorum induſtria frequentes quondam ad arcendos hoſtes collocaverat vigilias. Ambitus hîc ſpatioſus extenditur, complectiturque ea,quæ diximus munimenta. Illuc ducitur ſive vi,ſive dolo ſelectior hoſtis , aut ſceleratus potentior deprehendatur. Singularis habitatio deſigna-

ta

ta pro illis, qui ſtrangulandi condemnantur: & cæteris ſeparatior, quâ Proceres, atque ipſi ſi fortuna ferat, Sultani hoc ſupplicij genere tollendi occurrant. Vincti hoc loco nomen illud præ cæteris habent, quòd Sultani ipſiusmet captivi exiſtant: nec niſi de unius Imperatoris gratiâ, vel comutatione æqualiũ liberantur, nullo pacto cæteroquin redimibiles. Non cruciantur equidẽ iſthîc crudeli feritate, nec habentur ut alij paſſim ad remos condemnati; verùm carceris perpetui, & ſpei difficilioris moleſtia illis haud dubiè ipſo remo acerbior eſt. Habent quindecim aſpras quotidie in ſingula capita ad ſuſtentandam vitam (aſpra nummum Hungaricum valet) ſed quid hoc ad vitam ſimul, & libertatem? Ferreis præterea compedibus, & anguſtâ ſpecu coarctati tenentur.

Acceſſus ad ipſos difficillimè patet: & contigit, ut cùm frequentiùs è comitatu nonnulli captos inviſerent, delatis eò Patribus de Societate quodam die alloquium omnino denegatum fuerit. Venerant trajecto ſinu (nam per confertas comeantibus plateas, ac præſertim à canibus ante officinas gregatim accubantibus obſeſſas; qui niſi ſcipionem, aut equi ungulam obycias, nequaquam aſſurgent ceſſuri locum) quando Aga licentiam Deffterdarij, ſeu carcerum præfecti ad viſenda ergaſtula prærequiſi-

tam

tam ut admitterentur popoſcit: frequentiorem loci, atque hominum inſpectionem ſuſpectam reddi: literis opus eſſe, ut cautela privatorum cum re publica conſentiat. Non habentibus quod exhiberent Patribus, receſſum Aga ſubitò imperat, & in ſubſiſtentes iterat mandatum. Neque adhuc redibant nutibus circumſpicientes interpretem: cum incitatior ille unum è captivis ſententiam expoſiturum advocat, & vociferatione terrorem movet. Exciti commodè ad clamores ipſi captivi, miſerrimi mortalium, compellebantur miſereri quoque eorum, qui ſolatio ſibi advenerant, quibuscum neque de fortunarum, neque de ſpiritûs conſolatione communicare tùm poſſent, & verò quibus impoſterum, heu quot in annos! forent carituri. Itaque parendum fuit importunitati, ac vale tùm facto, inclinatoque capite demerendus inpoſterum Aga, futurus, ut evenerat poſtliminiò mitior.

At Bainum Turcicum non carcer tantummodò, ſed paleſtra & circus eſt Chriſtianæ tolerantiæ. Quidquid horroris & feritatis excogitari poteſt, huc ſine exceptione referatur, nec deerit fides. Ingreſſum turris ingens præſtat, à foco ad limen uſque fumante obſcurum. Vectes craſſi, ponderoſique, ac multiplices portam obſident; ut arietibus expugnare ne-

queas. Ad cuſtodiam truculentiſſimi adſtant, quibus niſi conditionis authoritatem, vel officij dignitatem, vel gratiam Principis opponas, non admittent. Carceris ambitum murus eminentior complectitur: hujus area in domicilia dividitur, præſidijs, officijsque ergaſtuli deputata: quæ verò vinculis adſtricti obtinent ferarum latebris ſimiliora ſunt. Per multiplices has ſcrobes ſæpiùs ſupra bis mille compinguntur. Ad captandam noctu quietem colla ferro onuſta parieti, aut trabibus inſeruntur; manus catenis implicitæ, pedes cippo adſtricti tenentur: Supino corporis ſitu abjectis unà omninò ferendum eſt quod naturæ moleſtia, quod loci, temporisque incommoditas ad faſtidium, & cruciatum ſuggerunt. Potiorem miſerandæ turbæ partem ponti Euxini accolæ conſtituunt: hos Tartari vel aperto marte, vel ex inſidijs ſublatos undecunq; huc in ſervitutem vendunt. Qui nuper bello capti in hanc præſentis ergaſtuli fortunam devenêre ſupra octoginta numerabantur. Impenſa ad ſuſtentandã vitam ſola illis à ſtipe per urbis compita oſtiatim, vel ab obvijs emendicata, Focos communes habent in patula carceris area; qui, equidem ſic proviſis, rarò fumant; neque ad guſtum, ſed ad famem; neque ex toto, ſed ex parte; ſi tamen & iſtud ſuppetat, propulſandam. Duæ

Duæ inibi ſacræ ædiculæ viſuntur captivis Schismaticis altera, altera Catholicis ad conſueta pietatis exercitia vocandis : Quæ Catholicorum dicitur, ea Sancto Antonio Paduano inſcribitur , centum vix hominum capax: nuditate ſuâ plus , quàm ornatu poſſet , devotionis, & compaſſionis movet. Signum ad divina audienda, quandoquidem nullus ibi campanarum uſus , miſerandâ compedum, vinculorumque colliſorum per ipſosmet captivos compulſatione editur , atque ad ſonum benè notum remigantes in mari quamvis longiùs, admonentur , & comparent.

Confeſſarius Oratoris à captivis rogatus ſuæ devotioni , & ſolatio afflictiſſimorum Sacrificium Miſſæ ibi non ſemel Deo obtulit : ac ſimul egeſtati Sacrarij munuſculis ad divina peragenda opportunis conſuluit. Patres Galatenſis Reſidentiæ Baino huic , ac ſeptem turribus in Spiritualibus præſertim provident ; alios etiam ſubinde ex alijs Religioſorum familijs conſolatores habent. In pervigilijs ſolemnitatum , feſtisque, ac dominicis diebus , nocturnas illic excubias agunt expiandis miſerorum conſcientijs juvandisq; ægris, aut, ſi qui adeſſent , animandis ad luctam moribundis , ac poſtea ſepeliendis. Quando iſti idioma capti-

 vorum

vorum non callent (abſunt quippe plerumque qui ſlavonicam aut germanicam nôrint) ſignis pro opportunitate temporis ad contritionem, & animi de commiſſis peccatis dolorem eliciendum excitant. Diebus feſtis ante auroram Sacrificio audiendo fruuntur omnes, quò ſic erecti majori cum virtutum emolumento, & meritoriâ animi inter hæc adverſa fortitudine laborioſos poſtea dies perferant. Atque hoc hyberno tantùm tempore; nam æſtivò ſoli ægri, languentesque intra ergaſtulum clauduntur: valentes autem tranſtris adcatenati, ſeminudi, ad biſcoctum panem, & aquam, eamque verminoſam, & tepidam, inter omnes cæli injurias, inter flagella, & aſſidua ſcuticarum immanium verbera diu noctuque remiges mare percurrunt, nulla ſolatij divini, aut humani ope recreandi, niſi fortè eâ, quam communis calamitas, vel igniculus privatus melioris animi ſingillatim apud quemque expreſſerit. Teſtes oculi has Chriſtianorum injurias, hæc tormenta nuper inſpexerunt. Si cauſa pœnis correſponderet ſemper, aliud â martyrio non iſtud eſſet, quin imò graviùs quiddam; quòd productiùs, & per ſingula malorum genera excurrant. Cæterùm quo ſolatio Cæſareus Orator cum legatione univerſa complexus ſit afflictos poſtea dicetur,

cum

cùm prius publicæ cauſæ eventa, quibus profectio præcipuè adlaboraverat præmiſerimus.

Die decimâ Novembris habita eſt altera, eademque poſtrema Excellentiſſimi Legati apud Sultanum, Orientis monarcham, ut vocant, audientia. Venia remeandi in Auſtriam, & confirmatio pactorum poſtulanda ſupererant. Procedentis ad Portam ſolemnitas conſimilis fuit Adrianopolitanæ. Ex adverſo etjam aula, ut nuper, trimeſtrem univerſæ militiæ ſolutionem coram Oratore Cæſareo præmiſit. Ritus evocandi, convivandi, ſalutandi ex toto idem ſervatus. Loci ſolius alia aliquantùm conſtitutio. Atrium quippe ingens, muro præalto clauſum, in duplicem aream diſcedit. Interior, quâ Divanum ſeu locus conſilij celebratur, arboribus conſita eſt, volucrum præterea cicuratarum, damularumque intercurrentium domicilium. Convivio exceptis hoſpitibus, Proceres Turcæ ad conclave regium præceſſere Oratorem ſumptuoſiſſimè induti, & comitatui immixti, neque ullo cincti famulitio. Ad ipſas fores in muratis ſubſellijs tantiſper conſedit Legatus, dum quadraginta duo Kafftan, ſeu clamydes ſuperbisſimè intextæ diſtribuerentur, quibus conveſtiti legationis comites in conſpectum Sultani, ita pro amicis habendi quorum, idem aforis

cultus eſſet, admitterentur. Primores de comitatu tantùm, reliquis in atrio ſubſiſtere jusſis, & aditum obſervare, intromiſſi ad Principem. Ex Patribus Societatis cum Oratore ad Portam profectis, alter duntaxat, qui cana & prolixa cum barba adſtabat, manu à Baſſa janitore præhenſus, ut ſubiret pariter Imperatorium limen, admonitus eſt. Dignum omnino arbitratus fuit Baſſa, ut Pappas Cadi, ſeu Sacerdos Judex, ſic appellabant ab officij & ſenectutis veneratione, Sultanũ videret; quamvis ſupra numerum admittendorum, atq; jam ad id ex politica nobilitate deſignatorum ipſe eſſet. Admiſſi ad ambulacra interioris ſerraglij, panno undique holoſerico, auro intexto conveſtita, obvios habuerunt ad limen regij conclavis Eunuchos duodecim manibus cancellatis implexiſque pedibus aſſidentes. Ab ingreſſu paſſibus plùs minùs triginta ædicula audientiæ, & ſacrarium Sultani patuit: ab omni cætero ædificio diſcreta, theſaurus illîc loco mobilis, & per camelos quacunq; Princeps incedat, deportandus: quò factum ut eodem cum apparatu Adrianopoli nuper, quo nunc Byzantij ſe conſpiciendum dederit. Formâ & quantitate, ſi ſacra profanis licet comparare ſacellum aliquod Lauretanum, quale paſſim viſitur, ut plurimùm repræſentat. Tectum

ctum in conum aſſurgit: lux non admodùm copioſa per unicam, eamque non amplam feneſtellam admittitur. Extra hanc opaca reliquorum conclavium, nec aliud conſpicitur: ſive conſultò id fiat ad conciliandam loco, ac Principi majeſtatem, tanquam de ſipario, & cortina reſponſuri oracula Delphica: ſive ad explicandum vivaciùs fulgorem, quem adamantes à cyclade & cidari regia, ut in nocte ſtellæ diradiant. Nonnulli eo conſilio arrogatam hanc à tenebris authoritatẽ, apud progenitoresSultani antehac inſuetam crediderunt; ut cicatrix, quam ſub oculoPrinceps defert de auguſto vultu diminuat nihil. Plagam hanc Ibrahimus pater etiamnum puſioni intulit: furore enim in filium petulantiùs agentem excandeſcens barbarus homo accurrerat, ut præcipitaret in puteum; ſed impactus in voraginis atera parvulus ſolam hanc paternæ immanitatis recordationem in vultu ſuſcepit, quæ cum adoleſcente ſuccreſcens indecorum cætere illius compoſitioni nævum promovit.

Sedebat medius in throno, thorum veriùs dixeris, ad accubandum expanſo, gemmis & unionbus curioſiſſimè diſtincto, atque in ſemilunam pariter ab omni parte affulgentem faſtigiao: nihil hoc ſitu, quamvis nec genio abludeis ab ea, quam depingebat Poëta, quæ

ſe *aureâ compoſuit ſpondâ mediamquè locavit, auleis fulgens circum Regina ſuperbis.* Ad parietem ordine dignitatis conſiliarij rerum Imperij adſtabant, ut ſtatuæ immobiles, junctis manibus ante pectus, inermes omnes, & ſi inter ſapientes numerari poſſent, Stoam componentes. Ingreſſus conclave Orator Cæſareus cum Paniotta interprete defluam ab humeris Sultani ſtolam deoſculatus eſt, factaque capitis profundiori inclinatione ad latùs conſtitit, dum reliqui de comitatu ad conſalutandum eminùs Principem ſuccederent. Hi vero ſinguli ex ordine per duos Baſſas ſub axilla utraque detenti ſpatio orgiæ unius ſiſtebantur ex adverſo throni: tùm ſubmiſſo ad terram vertice inter deducentium ac penè deportantium manus, atque ità reverito Sultano retrogado paſſu reducebantur ad limen, extra conclave deinceps ſubſtituri. Indignationem, ſeveriſſimam vultu, atque oculis præſetuerant Proceres, cum inter ſalutandum quidam de comitatu inductus, & latiùs in terram à bajulis dimiſſus tùm caſu, tùm podagrâ officium ſuſtentando corpori negantibus, gravius aliquanto ipſe terræ frontem illiſerat. Animadverſio haud dubiè ſeverior neglectum bajulorum obſequium fuerit poſteà conſecuta. Curioſior autem nonnemo cum pro conſuetudi-

ne ſingula accuratiſſimè in tabulas referenda obſervare vellet, & conſuetum interim venerationis profundiùs exhiberi ſolitæ terminum pauló minùs obſervaret, majore aliquâ vi latera ſuccollantium ad terram uſque inclinare frontem compulſus eſt, non ſine rubore hominis ingenui. Habet nihilominus arrogans iſtud in univerſos ſupercilium hujus Monarchæ, ex hac ipſa tàm inſolitâ adoratione, quòd ſuperbis inter ſummos plauſus evenire ſolet, deſpectum ſui ſcilicet, & contemptum quàm maximum; nam ſpectatis his cæremonijs liquet, neminem ſpontè ſuâ; omnes alieno duntaxat motu venerari Principem; nec Chriſtianum gentili præter ſuæ conditionis dignitatem niſi inter, ac propter alienas manus profundiùs accidere. Mos iſte cum legatis & legationis ſocijs ad omnes extenditur, à quocumque Dynaſtâ, vel Rege mittantur; Baſſarum obſequio ſemper ad thronum accedentes deducuntur. Sola ſecuritas Principis motivo in hanc rem eſſe videtur. Tyrannis etenim & ſuperbia cum neſciat amicos habere ullos; omnes tanquam hoſtes ut timeat, neceſſe eſt. Prope triginta regnorum violenta uſurpatio, quæ Monarchiam Ottomannicam conſtituit, vi ſolâ belli & armorum vendicata, facilè vel ſuâ opinione deſperat de

amore ſubditorum, & de vicinorum fide. Nec mirum quòd iſtâ cum exteris cautelâ Sultani utantur, quando neque inter domeſticos ſatis tuti, filiorum ſæpè, ac fratrum gladijs petuntur. Digna igitur conſecutione argumenti arcent pericula quæ aforis evenire poſſunt, quorum domi jugulum propinquorum ſævitiei ac ferro vænale eſt, & quorum poteſtas obſequio, præcipuè Janizzarorum fulta, ijs conſpirantibus vel ſtat, vel cadit.

Digreſſis omnibus, qui poſt Legatum fuerant illati in conclave, præter Reſidentes Cæſareos binos Reringerum & Caſanovam ac interpretem Paniottam pro re nata paucis Orator gratias primùm ſuper benevolentiâ & humanitate ſibi exhibita ad Portam repoſuit: tùm paci, negotijsque publicis invicem per delegatos pertractatis, comprobatisque per Sultanum firmam fidem expetijt: ſibi denique, gratioſam ad propria remeandi veniam indulgeri demiſsè rogavit. Interpres ſingula ex Italico in Turcicum idioma transtulit. Tùm Sultanus ſuccincto laconiſmo ad propoſita reſpondens, ad reliqua perhumaniter, ad ſcopum dictionis de pace ac tractatibus publicis diſertè: fide ſanctâ ſpondere ſe affirmavit, pactam utrinque ſe inter, atque Imperatorem Germanorum pacem inviolabiliter ſervatam

iri

iri abs ſe, neque cauſam diſſidij futuram impoſterùm, modò pacis & quietis oſores nonnulli viciſſim à parte altera, quod optaret, compeſcantur. His ultrò citròque relatis poſt venerationem repetitam loco exceſſit Orator: & magnâ cum honoris ſignificatione reductus à Baſſis, & Proceribus ad reliquum comitatum: inde præeuntibus Janizzaris trimeſtri ſtipendio mox ante ditatis ad conſtitutas ædes remeavit. Janizzari qui tùm deducebant, inermes fuêre; ſolo quippe ſcipione, dum in urbe degunt, armantur: ſingulorum interim ſagittæ, & ſclopi cum præfixo nomine in armamentario *Hann* nuncupato aſſervantur. Digreſſi vero ab urbe cum Sultano, aut in aliam expeditionem nihil armis utrisque propinquiùs ſervant, in eventum omnem defenſionis ſi quæ moneat occaſio intenti.

Privata reliqua inter Oratorem, & Proceres tranſigebantur. Memoriam ex ijs ſibi jure vendicant præſertim bina: captivorum exſolutio, & in favorem Religionis Catholicæ poſtulata, atque impetrata quædam. Horum qui in ſeptem turribus tenebantur, operoſiſſima eliberatio eſt. Pretio quippe nullo licitandos, ne quidem per comutationem niſi omninò conſimilium captivorum dimittunt: Hominum æſtimatio, & conceptus de ejusmodi me-

metus captivis opinione plus ęquo auctus, plerumq; ſupra conditionē detentorum captivitatem miſeræ turbæ exaſperant in deſperatam ſpem libertatis. Non ſemel ſuper ijsdem actum cum Proto-Vezirio: allegata pacta firmatæ pacis: factæ pollicitationes: ingeſtâ argumenta: perituros fame, frigore, nuditate, absque emolumento Portæ niſi manumittantur accepto lytro, aut non impetratis qui in compenſam expetebantur: horum quoque incertam eſſe notitiam an ſuperſtites ſint & verò ſi ſuperſtites eſſent, nequaquam tàm incommodè vivere, ut affliguntur iſti: timeri ab his impoſterùm minimè poſſe, qui fidem illibatè ſervare, & pacta cum indole germana hauſiſſent: beneficio eisdem fore ſi patriam repetant, non ſtimulo ut in hoſticum redituri ſe, ſuaſque injurias aliquando vindicent. At reponebat Vezirius probatiſſima adferri argumenta: ſed pacta, ſuperhic correlativa eſſe, & reciprocas obligationes. Sexaginta captivos ab Oratore Cæſareo adductos eſſe, majorem ad confinia; aut in Cæſaris, fœderatorumq; Provincijs captorum turbam attineri. Non defuturum tamen ſe amicitiæ: pro ſexaginta ultrò ſe eliberaturum nonaginta, atque ita mutuam provocaturum benevolentiam, ut cæteros qui deſiderantur,

tur,

tur, remiſſos velint, pro ijs pauculos, qui in ſeptem turribus ſupererunt, è veſtigio remittendis. Cæterùm ſi ſervare pergant, quos bello captos per Chriſtianorum provincias, aut ad limites attinent, opus fore, ut lytro non admiſſo jacturam horum faciant. Et duobus alterum ut eligant oportere; aut iſtorum amiſſionem, aut reſtitutionem ſuperſtitum captivorum: Illam haud dubiè familijs ad incitas, & orbitatem redigentis periculum allaturam, hanc itaque promptiorem, ut ſibi equidem Proto-Vezirius perſuadebat, illicò præferendam. Ita omnino tredecim redemptionis ſolatio carere oportuit, quòd nec ſumptus, expediendis illis oblati admitterentur; nec ad manum eſſent, qui viritim pro eisdem commutarentur. Maximo utrinque dolore relictis ſpes aſſignata pro vade in ſolatium eſt, atque eorum interim ſuſtentationi, & levamento calamitatum mille imperiales apud Reſidentem Caſanovam conſignati.

Ex Baino multi, & expeditiùs, quà lytro, quà ingenio educti ſunt. Magna argenti vis ab ipſo ex Auſtria diſceſſu in eum finem plurium liberalitate fuerat comportata. Horum alij præſertim Magnates Ungari ſuos apud Barckan amiſſos clientes repetebant, alij Chriſtianâ chari-

charitate permoti ſatagebant hac occaſione, præſtare illud proximo, quod in pari eventu ſibi præſtitum aliquando ipſi peroptarent. Inclyta Auſtriæ Provincia Rhenenſium millia ſex per Cameræ Præſidem ſuppeditavit. Alij pro ſua pietate, quod occurrebat liberalitatis erogarunt: hos inter ſpectata viri nobilis AndreæZethi virtus, qui unicus quingentos obtulit. Excellentiſſimo Oratori exBaino triginta condonati, & pro ſexagenis adductis, alij ſexageni additiBudę eliberandi. Pręter hos adjuvante lytro, & induſtriâ Patrum Societatis Jeſu de comitatu, plures quadragenis ergaſtulo exempti, ac reduces poſtea cum Legato partim Jaurini, partim Viennæ manumiſſi ſunt. Non potuit ſufficere conſtituto àBarbaris pretio piorum liberalitas, quando ſævitia & cupiditas lytrum ultra vires aggravabat. Argumento ſit cocus Marchioni Pio nuper ab obſequijs: eum Rhenenſibus trecentis triginta novem redimere oportuit. Illuſtriſſimi Comitis Franciſci Eszterhaſij aulicus non multo inferiore cum cœteris ſex milliũ ære appendebatur, cui quòd impar adeſſet, ſubſidiũ, debuit interim in compedibus perſiſtere. Alius IlluſtriſſimiArchipręſulis Strigonienſis cùm pauculis alijs ſummâ notatus, ipsâ ſui æſtimatione cum eisdẽ propè irredimibilis evaſerat. Commodavit tamen

ope-

operam huic ipſi, ac binis præterea, Catholicus Gallus à pueritia per vim Byzantium olim abductus: at poſtea ubi per lytrum libertati reſtitutus eſſet, conſilio mutato ex advena illîc factus incola. Ductâ uxore ſtipendiarius manſit, & à Capitan-Baſſa ſecundas tenet, captivos Bainij habens in poteſtate. Hic per Confeſſarium ſibi Galatâ advocatum donatus horologiolo rotatili, ac duodenâ imperialium in grati animi mutuam ſignificationem deſignatis pro Oratore tricenis, nempe Ungaris duodecim, octodecim Germanis, tres alios adjunxit, quos inter vexillifer equeſtris ordinis, ſtationum item in militia Magiſter, ac tertius ille Archipræſulis cliens, martiâ virtute omnes, ac ſeligi ex multis digniſſimi; quales etiam cæteros non expectato pervigili in lucra majora oculo ſupremi carcerum Præfecti de turba reliquorum excerpſerat. Et verò demandaverat ille, ut nonniſi ad remigandum ineptiores manumitterentur: at opportunè accidit, quòd captatâ per occaſionem cæli maximè adversâ tempeſtate, quæ Baſſam domi continuit, contempto fluctuum, aut naufragij periculo meliores pro deterioribus navi impoſitos in adverſum littus Oratori ſtiterit. Dignam præmio induſtriam Legatus centum imperialium dono remuneratus fuit. Hilares

lares tùm equidem hi ad tranſtra contrà maris impetū aſſederint utiq;, qui poſtremo hoc obſequio remis diuturnioribus eximebantur, ac primùm infami cataſtæ, quò nudi toto corpore ; vix partibus, quas honeſtas obtegi ſuadet, publico hactenus in foro vænales, & inſpiciendi quaquaversùs proponebantur.

Impenſiori pietate conjugem ſuam alter eliberavit à vinculis. Hæc nuper à Tartarorum incurſione ex oppido Sancti Georgij prope Poſonium abrepta, ac Conſtantinopolim divendita, nuptias non multo ante initas, ac maritum amiſerat. Iſte chariſſimam conjugem repetiturus occaſione curſoris abeuntis in Turciam animum aplicuit adjungendi ſe comitem, & quà poſſet, ſociam thalami perquirendi. Deſiderij intenſio ac præcipitatum iter curas diſcuſſerant aſſumendi in lytrum æris, ſine quo apud barbaros nihil impetraveris. Viam ingreſſus cùm per decurſum nulla conjugis recipiendæ ratio affulſiſſet, etiam Conſtantinopolim procurrit ; ibi inquiſitam cupidiùs tandem fortuitò ad fontem pro capienda aqua dimiſſam deprehendit. Mutua ſtatim agnitio, atque inter amorem ſtupor curam auxit, quâ ratione & ipſe pecuniâ deſtitutus ; & illa in mancipium duro homini atque ex genio populi avaro tradita ſpem patriæ relegen-

legendæ unà concipere poſſent. Conſilium dedit fæmina, ut maritus ad ſociòs legationis Sacerdotes abeat, atque per eos emendicatam pro ſe ſtipem alienâ manu ad patronum deferri, ſuamque eliberationem rogari curet. Inventam illicò ille abs ſe conjugem Patribus annunciat: patrocinium apud legationis Proceres implorat, ac ſupra viginti imperiales impetrat: tùm peritus idiomatis marito ſubſtituitur, qui fæminam tanquam pauperis vicini alicubi terrarum conjugem depoſcat: adduntur in ſpeciem argumenta, quæ illudere poterant, ſi non omninò perſuadere. At tergiverſari Turca, quin & oblatam redemptionem recuſare: jam enim domeſticæ proles mancipium teneriùs adamaverant; jam ipſa œconomiæ peritiam non vulgarem præſetulerat. Uxor barbari nihilominùs ac filij, filiæque ex ipſo in mancipium affectu adversùm ſe pugnantes ſupplici pauperculę, & in ſolatium miſerorum, ut ajebat, parentum libertatem reditumque ad ſuos exoranti compaſſæ, precabantur patrem-familias, ut afflictiſſimam dimitteret. Crudior ille nec repulſam ſuis, nec manumiſſionem mancipio indulturus pretium ingens pro lytro cœpit exigere; at victus miſericordiâ tandem in ducentos ſeptuaginta rhenenſes viciſſim capiendos pro manumit-

tenda condeſcendit. Quid agat maritus pecuniaria ope deſtitutus? accurrit ad Patres de comitatu; mutuam pecuniam rogat; ſpondet auctarium; bona univerſa, quæ poſſidet in hypothecam ſubſcribit. Verùm novâ hic oppoſitione percellitur: ajunt hi heterodoxos ambos eſſe, digniores undequaque illis videri Catholicos, qui pari neceſſitate conſtringerentur: operam iſtis navari oportere præ reliquis omnibus. Colligi liquidò poterat more ſuo providentiam divinam caſibus humanis ad executionem ſuæ voluntatis frequenter uti. Sine mora, ac poſtea etiam meditatò, Deum id toties exegiſſe abs ſe, & verò nunc impetrâſſe cum violentia uterque faſſus eſt, ut erroribus poſitis Veritati ſatis ſibi antea perſpectæ aliquando darent manus. Spondent itaque promptè ea omnia, quibus exequendis jam pridem alligabantur; nec Patres aliam mutui conditionem poſuêre, quàm ut ſi promiſſis fidem ſervarent domum reduces, refuſionem pecuniæ non alijs, quâm pauperibus eleemoſynæ titulo facerent; ſecûs in ſolidum debitores futuri, ſi fidem poſtea undecumque inter aſſeclas mali dogmatis aliquando frangerent. Scripto data cautio, & dum tranſigeretur manumiſſio reconciliati Eccleſiæ per ſuſcepta Sacramenta ſunt ambo.

At

At non ſine dolore deſeri debuit Valachiæ Princeps Vidua, copioſa prole ditior, quàm celſiſſimæ conditioni neceſſarijs. Deſideraverat colloqui cum aliquo Patrum de comitatu, exinde calamitatibus ſuis perfugiũ ſeu ope, ſeu conſilio oſtenſis repertura. Summa cum humanitate venienti occurrit: Inſtructiſſima â græcorum Poëtarum eruditionibus, ijsdem mira cum dexteritate alloquium condiebat: ſed converſationis ſcopus erat, impetrare ab Excellentiſſimo Legato filiæ jam nubili dotem, eò quòd ſublato ex humanis marito, facultatibus fiſco adjudicatis, unde decori filiarum conſulere poſſet non ſuppeteret. Iſtud ipſa impendi ſibi filiæque ex Chriſtiano in DEUM affectu ab Oratore, impetrari ex conſueta animarum cura à Patre inter lachrymas, ac ſingultus, per interpretem Patrem Galatenſem, ac coram duobus Calogeris, & Præfecto domûs orabat. Pollicitus operam Pater eſt: Sed plurima, quæ tùm quoque videri ſibi cavenda, providendaque ex conſideratione rei tantæ ſuggerebat, poſtea in adverſum occurrere, ut præſtari ex voto potuerit nihil. In omnem tamen eventum obtulit Pater ex religioſa Charitate allaboraturum ſe, ſi deficerent alia, ut defectura conjiciebantur, uti uni filiarum in Auſtriam poſtea à Matre ſubmittenda

dæ de neceſſarijs omnibus ad honeſtatem vitę, & condecentiam ſtatûs, loco opportuno provideretur. Beneficium ex nimio in prolem affectu diſcuſſit ab animo, nec agnovit Mater: vitam, & cor hâc benevolentiâ ſibi convelli ingemiſcens ajebat: Ita cum mœrore finitum alloquium; quod ſatis antea aggravabat non ita pridem ex Italia filius redux modò febrium æſtu decumbens, & ipſe conveniente ſolatio ab hoſpite recreatus. Filiarum nulla in conſpectum venerat: nobiliores quippe fæminæ, & puellæ, niſi proximis cognatis viſendæ, præterea nemini, minùs ad alloquium offeruntur. Solæ item Bulgaræ, quas Zingaras paſſim vocant, aperto vultu; reliquæ ad oculum omninò contectæ, cum prodeundum eſt, incedunt.

Adductam ab Auſtria puellam aſtu impio vaferrimi Judæi, & ad ſacra Moyſis, vel Mahometis ab eodem proximè compellendam, ut agnam è lupi faucibus nuper Legatus Angliæ abſtraxerat. Eam quoque Galatenſes Patres Cæſareo Oratori nunc reſtituendam patriæ commendarunt. Quâ ratione hæc Conſtantinopolim advenerit paucis accipe: Mentiebatur Judæus apella in partibus finitimis Imperij moribus & negotiatione Chriſtianum: ibidem in amorem ſui, & aſſenſum conjugij

jugij honeſtam matronam dexterrimâ calliditate allexerat. Huic puellam de qua mentio eſt in obſequium factâ ſponſione prædivitum commoditatum adjunxerat. Paulò poſt ſolum vertere cœpit, & decursâ Italiâ petendæ ut præſeferebat non exiguæ hæreditatis causâ Conſtantinopolim contendit. In portu à contribulibus, & cognatis, ac decrepito parente perhumaniter exceptus uxorem cum pediſſequa ad inſuetorum hoſpitum conſpectum, & inſolitum conſalutandi morem cohorreſcere fecit. Inde in domum ſoceri Judaicam delatæ caſum in quem devolutæ reciderant profuſis lachrymis intueri primùm, ac deinde execrari cœperunt: multò autem magis poſt decurſum dierum aliquot, cùm precibus ac cæremonijs Moſaicis conſecrari conjunx in hebræam compelleretur. Excuſabat maritus: benedictiones haſce pro mulieribus advenis per eas regiones à Deo inſtitutas eſſe: nihil illis probroſum, nihil fraudis contineri: ſolam quoque iſthîc ſenis capularis, parentem inſinuabat, mortem ſe præſtolari; rediturum illicò unde profecti veniſſent. *S*ed nimirum fidem ille loco omni opportunam profitebatur, quemadmodum in domo paterna judaicam, in Germaniâ Catholicam. Conſtitit poſtea hominem iſtum Adrianopoli ut arte

medicâ, & aſſentationibus vaniſſimis gratiam palatinorum, ipſiusque adeo Sultani venaretur Turcam plane induiſſe. Cydari nempe aſſumptâ, neque aliud requirebatur, & reſponſis ad quæſtiones nonnullas pauculis, ſcenam mutaverat, quam ubilibet gentium ludebat nefariè. At neque ſic voti compos Principi, vel ſatrapis placuit; neque dubium cum uxore poſtea improſperè conveniſſe. Adeo artibus humanis nullum robur, & medulla; quibus exterior duntaxat fucus præſtat originem, nec ſolida intùs animi perfectio nervos miniſtrat. Liberatam à captivitate pediſſequam liberali ære proſecutus Orator non unà ſuo cum comitatu, terreſtri; ſed itinere maritino in Auſtriam ut reverteretur effecit.

Majori facilitate actam fabulam, quamvis inſolentiore cum ſucceſſu, & eventu loquebatur fama recens Conſtantinopoli de Judæo altero, qui pro Meſſia ſe nuper venditaverat. Multa in confirmationem ſuæ larvæ per Orientem egerat hic impoſtor: ſupereſſe ajebat illud unicum, ut Sultano colloqueretur, & ſibi ſceptrum, atque regnum Hebræis poſtliminio impetraret. Itaquè Smyrnis Conſtantinopolim abijt. Poterat ab inconſulta profectione ſibi temperare bipedum ſtultiſſimus, quòd Sultano regnum, ut clavam Herculi erepturus iret.

Ivit

Ivit tamen; ſed apulſum in littus pugnis illicò, ac fuſtibus ſalutavêre hoſpitem Turcæ. Deinde conjectus in carcerem, ac ſubinde in quæſtionem vocatus, poſitâ iterum larvâ Meſſiam homo vafer exuit, & perſonam Legis-periti induit. Interrogatus à Vezirio quis eſſet? reſpondiſſe fertur, nec Meſſiam ſe, nec Prophetam, nec Regem, nec miraculorum nundinatorem, ut falsò opinati, quin etiam rumore didito criminati Judæi fuiſſent: Legis ſuæ peritum ſe eſſe; cui ediſcendæ multùm temporis impendiſſet: reſponſa quæ popularibus ſuis dediſſet, accepta ab idiotis fuiſſe pro oraculis: ſuam ideo ſibi virtutem, præſtantiamque, ex vano cæterorum errore malè divulgatam nocumento fuiſſe. Ad ea quæ inſuper de Deo, de mundo, de moribus, à Vezirio quærebantur plura repoſuit, uti quidem illi videbatur appoſitè; cumulatè ſatisfaciens cæco cæcus. Creditum itaque tunc fuit culpâ Judæum vacare: ne tamen, quod factum hactenus, ad ipſum fieret ultrà populorũ concurſus, & ex iſto factio, relegatus in caſtrum fuit ad fauces Helleſponti, unum ex Dardanellis. Ibi ſex menſium decurſu rurſus ex omni parte ad impoſtorem confluere,& Byzantio, Gallipoli, Adrianopoli, Chio, Bruſsâ, Theſſalonicâ, alijsque quà finitimis, quà diſſitis urbibus convola-

volare homines cœperunt. Suſpecta concurſatio Chaymicano denunciatur, & admonetur Porta. Muffti ſuper Judæo conſultus non vacare periculo hanc famam, & hos concurſus reſpondit. *Sententia* ſacrorum Præſidis ad Sultanum refertur: Hic acciri denuò Hebræum jubet, & fruſtra frequentiam populi retorquere parantem in ſtultas hominum perſuaſiones, ac potiſſimùm in avaritiâ caſtro Præfecti, qui ſibi tantumodò lucrum ex illâ comeantium frequentia quæſiviſſet, morte condemnatum enunciat. Jamque qui decreto manum adderet carnificem vocabat, cum pro impoſtore deprecatus Purpuratorum nonnemo, hâc conditione temperari ſententiam impetravit; ut niſi Turca fieri mallet omninò moreretur. Poſt deliberationem brevem vitam morti antefert Judæus, atque inſignia Turcarum capeſſit. Ad hæc interroganti Sultano, quid de Meſſia Judæorum nunc cenſeret, & annon Chriſtus fuerit ille â Deo cælitùs promiſſus? omninò hunc fuiſſe, quem venturum præſtolabantur affirmavit. Turbinato deinceps pileo, pretioſisque veſtibus ab Imperatore donatus, ac dignitate præfecti portæ regiæ, quē Turcę Capigi-Baſſam vocant, aſſignatâ in dies ſingulos penſione aſprorum biscentũm, qui talerus unus cum dimidio ſunt, ſibi

ſibi impoſterum relictus vixit: opportunè denuò condemnatus ad cuſtodiam portæ, qui venturum Meſſiam, quem operiretur vanâ ludificatione antea ſomniaverat.

In favorem Chriſtianæ fidei multa quoque Excellentiſſimus Legatus ſuſcepit apud Portam exequenda, & multa perfecit. Pro ſacris in excolenda vinea Domini operarijs, quos Societas Jesu ſub Imperio Sultani, per Ungariam præſertim, Sclavoniam, ac Croatiam complures continuò ſubminiſtrat, diploma ampliſſimum impetravit, quo libera eisdem ultrò citroque commeandi facultas conceſſa: immunes præterea ab exactionibus Turcarum, ac præſertim Eccleſiæ græcæ facti: reparandarum, quin etiam tùm Eccleſiarum, tùm locorum, ubi antea degebant facultas condonata: atque ut liberum religionis exercitium ipſi per omnes Turcicæ ditionis tractus proſequerentur indultum eſt. In eam quippe inſolentiam vexationes quotidianæ, exactionesque barbaræ devenerant; ut non modò ſecuri parùm degerent; ſed & cum cæteris communi vectigalium onere iniquè gravarentur, quibus tamen non ſacculus & pera, ſed Eleemoſynæ viritim corrogatę incertum eſſent ſtipendium: inſuper â Schiſmaticis ſacrorum Præſidibus ut tributo quacunque de cauſâ ab ijs penden-

do ſatisfieret, infantes Latinorum Mahometanis vænumdari paſſim eveniebat neceſſarium; quò fiebat etiam alterutrum evadere difficillimum; aut cum periculo vitæ tributum negare Sultano; aut cum animæ utrinque, fortunarumque jacturâ fidelium curam iſthic deſeri debere. Quo ipſo argumento ſimul patuit communem hanc immunitatem Clero latino univerſo eſſe oportere; nec modò Societatis libertati atque indemnitati, ſed & Cleri, ac religioſorum ordinum quorumvis, qui Sultani Imperio ſubeſſent unà conſulendum eſſe: ut cauſa communis jure, ac patrocinio eodem pariter, & ubique ex legationis beneficio lætaretur. Copia decreti ad verbum tranſlata ſequentibus deſcribitur. Inſcriptio Arabica crucem ſupplet, quam nos decretorum ac literarum fronti adſcribimus. Dicitur autem hâc inſcriptione. *Ipſe eſt adjutor Deus.* Tùm nota imperialis vulgo Tugra locum tituli obtinet: *Mehemet Chan, Filius Ibrahim Chan ſemper victorioſus. Nobile, dignum, & excelſum ſignum regium, & inclyta, & glorioſa nota imperialis, quæ auxilio Domini, & gratia clementiſſimi Dei, totum pervadit mundum, ſic mandat.*

Cum Illuſtris inter Principes Chriſtianos Gualterus de Leslie magnus Legatus ad felicem meam Portam ex parte Imperatoris Germaniæ miſſus, porrecto memoriali nobis ſupplica-

plicaverit, ut meum Imperiale diploma, ac mandatum gratioſè concederem ad hoc, ut juxta contentum capitulationum Imperialium anno milleſimo, quinquageſimo nono, nemo faceſſat moleſtiam Patribus de Societate J E S U, alijsque religioſis latinis in meis regnis, ac dominijs, in quibus habitare illis liberum ſit: Ac præterea ut ire, venire, terrâ marique poſſint, abſque eo, quod ullus eosdem, aut loca in quibus habitant, turbet, aut inquietet; cùm autem ſuas domos reparare voluerint, ne quisquam ſe ingerat, aut eos impediat; ut pariter in exercitio ſuorum rituum & cultûs divini more latino â Beglerbegis, *Proregibus*, â Begis, *Præfectis*, Judicibus, alijsque Magiſtratibus, & â quavis perſonâ non moleſtentur, tàm in itineribus, quàm in proprijs habitationibus & templis, quæ ab antiquo occupant, & poſſident. Quoniam vero ex ſolis populi eleemoſynis victitant, ne exigantur ab illis propter res eorum vectigalia, contributiones, aut tributa, aut alia quævis jura & impoſitiones, niſi propter merces, quas inferre poſſent ad negotiandum: cùm autem inter illos aliquis morietur, nullus ex fiſco ſe ingerat rebus aut facultatibus demortui; nec aliquo moriente exigatur ab illis quidquam ſub prætextu juris ſandapilæ, ſeu feretri. Quod ſi forte

con-

contingat in vijs, ubi illi habitant, aliquod homicidium, aut effuſio ſanguinis, ne illi incarcerentur prætextu exigendi pretium ſanguinis. Præterea ut prædicti Religioſi, alijque Sacerdotes Latini, ab Epiſcopis Græcis, Servianis, & Bulgaris, non moleſtentur; imò verò ut in templis quæ ab antiquo in eorum remanent poſſeſſione, tàm ipſi, quàm eorum ſequaces ſubditi ſuo attendentes ſervitio, liberè exerceant & ſine moleſtia cultum divinum juxta ritum latinum ſine eo, quod quiſquam ex Græcis & Servianis ſe ingerat, eos turbet aut impediat; nec ulla pecunia ab illis exigatur propter querelas contra eos factas. Ego in ſpecimen meæ Imperialis gratiæ hoc meum Auguſtum *Berat*, diploma, conceſſi mandavique & mando, ut idem hoc meum mandatum in omnibus punctis ſuperius ſpecificatis obſervetur, & executioni mandetur, nec impoſterum permittatur quidquam fieri, & committi contra juſtitiam & in præjudicium dicti mei auguſti diplomatis. Sic norint, & fidem præſtent nobili ſigno Imperiali. Scriptum ſub finem menſis Gemaziulula. Anno milleſimo ſeptuageſimo ſexto (apud Chriſtianos ſexcenteſimo ſexageſimo quinto ſupra milleſimum) initio decembris *in imperiali Reſidentia Conſtantinopoli.*

Attamen

Attamen inexorabilis Porta fuit, ut concederetur facultas reædificandi Eccleſias Galatæ biennio antè flammâ è portu navali illatâ abſumptas. Cæſareus Orator operam quæ navari poterat efficaciſſimam impendit: ſed obſtitit pertinaciſſimè Mufftius, qui antea quoque reparationem illã vehementer legi Mahometanæ adverſari pluribus contenderat, & hactenus impediverat. Inſtabat Orator ut aliqua ſaltem ex deletis incendio templis reſtaurarentur (omnia quippe perierant excepto Sacello Patrum Societatis JESU ſumptibus Reip. Genuenſis erecto ſedente URBANO V. & honori Divæ Virginis Matris, & S. Benedicti conſecrato, anno milleſimo, quadringenteſimo, vigeſimo ſeptimo, ac denique ſacræ Benedictinorum familiæ quondam commiſſo) Verum Pſeudo-Pontifex legem Pſeudo-itidem-Prophetæ prætendens inſiſtebat primæ negationi: imò deſperatam omninò rem effecit, quando atrociori uſus argumento pernegavit ab Oratore Cæſareo peti aliud in præſens poſſe; quàm quod concludendæ firmandæq; paci, utrinque à Monarchis in pacta, & articulos conjectæ conſentaneum exiſteret. Quos inter quandoquidem de Eccleſijs hiſce nihil ageretur ſtandum eſſe juri communi ſimilia ſeveriſſimè vetanti. Magno luctu excepta Purpuratorum

torum per tubam hanc impiam dictata ſententia,& ſponſis vidui Sacerdotes ſaniora interim in aliud tempus conſilia de cælo invocarunt.

Providè in ejus incendij caſu egerunt Religioſi Sancti Dominici. Nam cum fervere flammis domum atque ædem ſacram conſpexiſſent, jam tùm animo certi de neganda ſibi poſtea reſtituendæ ædis reparatione; illicò non obſervantibus Turcis refectorij nondum igne correpti quas partes poterant tutari; atque in formam ſacelli comportatâ arâ & obvio, qui reliquus fuerat ornamentorum cultu, adornare locum feſtinârunt; itaque in præſens piâ fraude mutatam equidem, ſed ſervatam tamen ſacrorum ſtationem tenent, à Turcis quoque imperturbati.

Aliud Seraphicus Ordo S. Franciſci, patrono Rege Catholico, annuente Romano Cæſare, promovente Legato, Commiſſario etiam Hiſpano in eam rem ſubmiſſo procurante impenſiùs ſolicitabat. Sepulchrum Chriſti Hieroſolymis, & Præſepe Bethlehemiticum ab annis propè triginta Patribus Franciſcanis Clerus Græcæ fidei eripuerat: vi & fraude depulſos poſſeſſione veteri, quin & inauditos eo ſpolio involutos ſe affirmabant: allegabant Avum moderni Sultani, & anteceſſores alios privilegia ſibi ampliſſima in eam rem conceſ-

ſiſſe:

ſiſſe : recentiora decreta quæ in oppoſitũ à Calogeris, & Archimandritis afferebantur ſubreptitia planè eſſe dicebant : ideoque non æquo titulo ſacroſanctam eam atque à majoribus derivatam in ſe hęreditatem convulſam nuper, & ulteriùs alieno juri adſcriptam manere poſſe. Cauſa jam pridem antea Divanum fatigaverat, ſed ſuſpenſa, ſeu Interpretis malitiâ, ſeu Præſidis incuriâ. Suſcitata lis ſubjiciente novas faces Oratore Cæſareo ; nihilominùs in priorem ſcopulum recidit ; atque iterum protracta ſententia eſt. Datum tamen illud auctoritati Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi, ut quoniam ſola privilegiorum evidentia ad deciſionem cauſæ requirebatur, quidquid in oppoſitum conſtitutum fuiſſet hactenùs pro invalido foret habendum, modò authenticâ literarum fide monſtrarentur, quæ à Patribus affirmabantur, & allegabantur. Eadem quippe ſingula pars altera pernegabat, & folia archiviorum diſcuſſa nihil quod in Patrum favorem cederet exhibebant. Ita ſimul dignitati Oratoris, atque unà cauſæ æquitati Porta conſulere ſe velle liberaliter obtulit, parata cedere ſtatutis ſi quæ fuiſſent edita recentibus in obſequium antiquiorum jurium, quibus exhibitis tantorum præterea patronorum auctoritas ſuffragaretur.

Ad

Adhæc documenta Chriſtianæ pietatis plura indies ſuggeſſit oculis exempla Orator Cæſareus. Tenore quippe jam nuper cœpto progreſſus conſtanter, ubi occaſio ſeſe offerebat, ut humana, ſic divina Chriſtianæ gloriæ magnificandi, neutri partium cum ſplendore conſueto deerat. Recurrerat per Novembrem ſacra ad aras veneratio Divi Auſtriæ *Marchionis* LEOPOLDI. Eam ſibi, quòd unà Auguſtiſſimi Cæſaris memoria concomitaretur honoratiore, quâ poſſet impensâ, colendam ſtatuit. Sacrificio divino in templo Galatenſi quidquid ad feſtivitatem concentus, atque inſtrumenta muſica poſſent, quidquid ad indumentorũ pompam & comitatum inveſtiendum faceret imperatum fuit. Metiebantur Turcæ ex Vicario Principem, atque ex magnificentia Legati, dignitatem, majeſtatemque Cæſaris. A divinis, quibus præterea P.Vincentius Ballachius ſermone Italico eruditiſſimam adjecerat Orationem, regale epulum in aula Legati hoſpites excepit. Accubuit illi inter primores, cum nobilitate frequentiſſimâ invitatos Orator Anglus. Adfuit dapibus quod Byzantium terrâ vel mari deliciarum afferre potuit. Ad ſympoſium Tenedos, & Pontus omnis cupedijs ſuis inſtructiſſimæ, ſollicitatæ: nec ita diſceſſum fuit ab Auſtria, quin Au-

ſtriacæ

ſtriacæ deliciæ cum memoria Principum in caput menſæ venirent. Reſiduum diei plauſibus inter feſtiva hilaria datum abijt: Pari venerationis ad aras ſignificatione ſub initium Decembris ad Miſſam auream, ſic dictam ex nuncio Verbi incarnati præviâ Exhomologeſi, & ſubſecutâ ſacrâ Synaxi Excellentiſſimus Orator Chriſtiano populo ædificatione præivit. Eadem ſolemnitas Divo Andreæ, velleris aurei Patrono: & immaculatè Conceptæ Virgini, Auſtriæ tutelari eſt habita; ne, quam Auſtriacarum rerum protectricem ex aſſe colit aulâ Imperatoria, non minore cultu Auguſtus delegatus proſequeretur.

Et certè, non equidem æmulatione digna, ſed interdũ tamen ad infligendam Catholicis verecundiam opportuna in Turcis elucet religionis ſuæ cura & zelus. Obſervatum conſtanter extitit in decurſu itineris, quod in militiâ quoque, & graviore aliâ occupatione diſtracti aſſolent, pro opportunitate loci deſilire eos frequentiùs jumento, & ſubſtrato tapeti, aut, ſi ille deſit, ſtrophio, aut parte veſtis, Moſcheam ſimiliter inſtratam repræſentantibus inſiſtentes, quà ſubmiſsâ, quà elatiori voce, Deum precari; ſeque, ſi aqua ſuppetat brachia in cubitum, & frontem in mentum perpluendo expiare, ut ſibi perſuadent à crimini-

minibus. At in urbibus à turri Moſcheæ voce clamosâ per diem ter omninò invitantur, ſub auroram, in meridie, & ſub occaſum ſolis, ad divinum cultum, ſive in templo à virili ſexu, ſive in ædibus à fœmineo, qui Moſcheis planè exulat, ſive ab utriſque domi ſuæ exequendum.

Accidit ſemel, iterumque, ut orationis meridianæ tempore Excellentiſſimus Legatus Proto-Vezirium conveniret: Nihil tùm ille ſibi ſubtrahi de tempore precum paſſus hærebat immobilis in loco cœptæ Orationis, legatione totâ præ foribus ſuperſtitionis exitum coactâ præſtolari. Nemo inter hæc colloqui, nemo vagus diſcurrere oculis per obvios, nemo ſignis aliud præferre mente, aliud actione propoſitum loci, ac temporis competente. Digna commendatione ſeveritas, ſi cauſa, & meritum præterea ſubeſſet.

Sub finem Novembris appulit Conſtantinopolim Orator Gallicus *Devant la Haye*; is qui paucis abhinc annis inconcuſsâ & imperterritâ cum mente impactam à Purpuratorum Præſide alapam acceperat, cùm parenti ſuo, Oratori tunc Gallico, comes advenisset. Navi advectus fuit inſtructiſſimâ tàm domeſtico quàm militari apparatu; ſexaginta majoribus æneis fiſtulis armatâ, & à nobilitate quæ Lega-

tum comitabatur illuſtri. Obſtupeſcere meritò tunc poterat curioſior quiſpiam, an potentiam Sultani, an miram ſolicitudinem Europæorum Principum, qui tàm ſtudioſè, tàm confertis eodem tempore legationibus, tàm opulentis, communem aliàs hoſtem,& Chriſtiano nomini infenſum certatim adeò demereri ſategerint. Equidem paci publicæ inter Romanorum Imperatorem, ac Portam intererat, viciſſim occurrere benevolentiâ, quando ab armis proximè diſceſſerant: ſua tamen cæteri, an aliena quæſiverint pro incomperto manet.

Sextâ Decembris â Proto-Vezirio ad alloquium admiſſus *laHaye.* Cùm èGalata quò appulerat mare trajiceret ter bellicis fiſtulis minoribus, & ijs quæ navibus inerant majoribus conſalutatus fuit. Sexaginta equites, & bis totidem de peditatu excenſione factâ deduxere hoſpitem ad Principem Purpuratorum. Queſtus acriter non multò poſt per occaſionem fuit de inæqualitate honoris, & munerum, ac reliqui officij ſe inter, atque Oratorem Cæſareum admodùm infra ſui Principis dignitatem obſervatâ: decuplò inferiora omnia ſibi evenire: nimiam hanc cenſeri inter multò propiores authoritate, quàm Porta videatur agnoſcere diſtantiam. At expoſtulationes ſine viribus irritas ſuperbo ſupercilio

Proto-Vezirius contempſit: monuitque per internuncios uti ſileat, neque malo ſuo importuna moveat diſſidia: abunde diſcriminis illud eſſe, quòd Imperatoris Germanorum ille; hic Regis Franciæ Legatus ſit.

Fidentior navigij Gallici Capitaneus captâ occaſione, quâ Sultanus vicino litore devehebatur, expedito curſu contenderat coràm accurrere in obſequia, & apparatum navalem, ac commilitones armatos, quos unà detulerat monſtrare. Jamque veloci lembo propior Prætoriæ factus cogitabat bono omine, & fide optimâ honorem, ſuæque teſſeram benevolentiæ præſentare. At ira, & furor penè implacabilis hominem excepit; nec immunis abijſſet niſi admonitus inhibuiſſet curſum illicò; & Purpuratorum quidam Sultano ſuggeſſiſſet, nihil ab adnavigante advena fraudis timeri, ſimplicitatemque importunâ humanitate permixtam excuſare temeritatem facti.

At Oratores inter conjunctior fiducia interceſſit: Appulſum è Francia legatũ Cæſareus Orator beneveniſſe per Secretarium gratulatus fuit; nec ille ſegnior per nobiliſſimum de ſuis numero legationis, copioſè ornatiſſimèq; ſtipatum, Oratorem pari urbanitate coluit. Tùm ut pompa Legationis univerſæ ſaltem ex parte â novo Legato coram inſpiceretur curioſiùs,

alte-

altero, atque altero die tùm ad Gubernatorem urbis, tùm ad Proto-Vezirium vale-facturus Orator Cæſareus aſſumpto nobiliore tùm comitatu, tùm apparatu prodijt. Legatus Regis Angliæ, cum officioſiſſimæ humanitatis ſignificatione pleniſſima, caſtra propediem ab urbe moturis in patriam ſuæ benevolentiæ charam memoriam copioſè reliquit. Nec minus Reipublicæ Raguſææ delegati poſt conjunctiſſimorum affectuum atteſtationes proſecuti ſunt propediem profecturos. Jam enim ſibi haud morandum longiùs Byzantij Cæſareus Orator cenſuerat: ſed detinebatur adhuc ægritudine paucorum, quos inter decumbebat vir clariſſimi nominis Joannes Fridericus Metzger de legatione univerſa, cui â ſecretis fuerat, meritiſſimus. Demùm & iſto valetudinem curare ſuam tantiſper juſſo; tumulatis quin etiam duobus, qui ipſis abiturientium poſtremis penè horis in Domino piè obierant, obvertere animum & frontem â ſolo barbaro in charam Auſtriam legatio cœpit.

PARS IV.

Orator Cæſareus Byzantio diſcedit.

PUrpuratis tandem, atque ipſo Sultano bene reducibus precante valere juſſis, vigeſimâ primâ Decembris pro deperditis hactenus multiplici morte non paucis, longè plurium auctus comitatu, & quidem ſelectiſſimam captivorum trahens captivitatem, & ad religionem Catholicam applicitos per iter complures, plenus gloriâ, & meritis, poſt divina ſub auroram celebrata, & invocatum in ſubſidia *AuxiliumChriſtianorum* Excellentiſſimus Orator reflexo in Ungariam itinere Conſtantinopoli diſceſſit. Confluxus populi, ad explicata labara, ac reditum feliciter inſonantes tubas, ac tympana; maximè verò Chriſtianorum, quos fortuna vel neceſſitas cogebat ſubſiſtere, inde aggratulationis & plauſûs; hinc mœſtiſſimi luctûs fertilem omnino ſcenam aperuêre, nempe valedicentiū chariſſimis hoſpitibus fortè non ultrà ſibi in conſolationem revidendis: & à quibus tam infeliciter nunc divulſi impoſterum elongarentur. Reſpectantibus interdum

terdum in procinctu itineris urbem regiam ſubijt in mentem, non ſine dolore priſca felicitas, & majeſtas Conſtantinopoleos. Hæc illa, ajebant, caput quondam Orientalis: ſoror & æmula Occidentalis Imperij: Aſiæ vinculum atque Europæ: potentiâ armorum, victoriarum gloriâ, regum Majeſtate nulli veterum, niſi Romæ ſecunda. Hæc illa Chriſtianæ quondam gloriæ theatrum: ex qua religioſiſſimi Cæſares, invictiſſimi Præſules, pars optima melioris mundi, ſacrâ & profana politicâ pulcherrimo nexu conſentientes, elidenteſque ſuperſtitionem fide, barbariem moribus, inſcitiam eruditione ab orbe reliquo profluxerunt. Clavem orbis terrarum, regnorum centrum, mundi partium cor rectè dixeris: digniſſimam quæ regale ſolium Imperantibus, validiſſimum præſidium Monarchijs, tutiſſimam ſedem Religionibus, firmiſſimam arcem ſcientijs, patentiſſimum alveum legibus, Chriſtiano denique nomini, gloriæque proferendæ opportuniſſimũ terrâ, mariq; portum aliquando iterum aperiat. O quantum ab illa nunc decidit! Regalium ſubſtructionum pompa, templorum majeſtas, pyramidum ſuperbia, artium dignitas, populorum gratia, Procerum integritas, Cæſarum laudes in mapalia & caſas, in delubra & lucos, in ſtupo-

rem & inſcitiam, in feram barbariem, in faſtum & tyrannidem reciderunt. Illatus eſt legatione præſenti tantæ nocti Phosphorus: O! & dies olim accendatur eodem Phœbo; qui nunc auroram invexerat Romanorum Cæſare LEOPOLDO!

In alterum diem tantiſper ad ſemilunam Piculi horarum ferè trium ſpatio ab urbe diſſitam hærere oportuit, ut quidquid Byzantij adhæſiſſet cum mora poneretur. Tùm emenſo ponte *grandi* Selymbria in pervigilio Natalis Domini proficiſcentes excepit. Urbs eſt in portu Euxini ſita eminenti ſaxo inſiſtens condita Romanorum ope, atque induſtriâ. Turres laſſæ & mænia nutantia vetuſtatem ſæculorum plurium loquuntur. Natalitia divina pietate hoſpitum magis, quàm celebritate loci, ac temporum favore celebrata ſunt, commodiùs tunc animo recreando conceſsâ facultate, cum ſenſibus ac corpori amœna ſubtrahebantur. E Silebria in Chiorlich bidui, inde tridui itinere Chariſteram, Borgas, & Babbam tenuerunt. Anni intemperies, quò propiùs in Aquilonem aſcendebant, eò ſeveriùs afflante brumâ percellebat. Extremum regiones iſtæ tùm autumnum repræſentabant, aſſiduis imbribus in torrentes, & cœnoſas paludes proficiſcentium ſummo incommodo defluen-

fluentibus. Adhuc tamen in convexo terræ, atque eminentioribus clivis paſcebantur pecora, & mittendæ ſementi trahebatur ſulcus. At hæc aëris tantilla benignitas nec plana viarum ſubeuntes, nec ultrà Adrianopolim comitata fuit.

Hapſam, ſeu Capſam poſtremus dies anni obtulit. In hac Proto-Vezirius Solymanni de ſecto lapide Moſchéam mole per-amplam hebræo-turcicis ritibus promovendis condidit. Huic pari opere ſtructuráque ſcholas conjunxit; ſed in quibus præter focum & ſubſellia, pro ſtudioſis modicè ſupra terram elevata viſu dignum nihil. Fontana perelegans ante fores templi multis locuples canalibus ſpectatur: redundat copioſo fluento per plumbeos aquæductus à fontibus derivato; ex aurichalcho epiſtomia parieti dexterrimè immiſſa obviorum beneficio, & purificationi apud gentem uſitatæ liberaliter inſerviunt. Additum pro viatoribus diverſorium pari munificentiâ, quâ magnificentiá hoſpites proſequitur.

Adrianopolim Calendis Januarij, Anni ſexageſimi ſexti currentis aræ, redux Orator appulit: diſtat abhinc Byzantium non plus octo, & triginta milliaribus Germanicis. Patuit iſthic clima contendens de principatu inter confligentes ultimam æſtatem, ac primam

K 5 hye-

hyemem: pluere, tonare, fulgurare, fulminare, permiſceri elementa omnia viſa ſunt: at tempeſtas horridior vicit, & deinceps dominatum gelu, ſudo, udoque cælo inter glaciem & confertas nives. Miſera conditio eorum maximè fuiſſet, qui captivitate nuper exempti comitabantur, quibus commodè inveſtiendis vix reliqui ſufficiebant, niſi ijſdem chara libertas nunc etiam pro reliquo integumento ſervivisſet. Novum annum ſibi ſuisque inter divina ſolemniùs peracta, & ſuſceptam Angelorum dapem comprecatus Orator, dies quinque reficiendis viribus, atque in reliquum viæ præparandis ſubſtitit: Idipſum Purpuratorum Princeps, & Commiſſarij, qui Legationem deducebant Turcæ ſuaſerant: proinde quod ſuperfuit otij, dabatur urbi inſpiciendæ.

Adrianopolis Conditorem nacta eſt Hadrianum Imperatorem Romanum, à Julio quintum-decimum, quamvis ejusdem exordia alij ad fabulas Oreſtis fratricidæ referant. Urbs olim Thraciæ, nunc Romaniæ, à ſecunda Roma ſic dictæ, à geographis cenſetur; Hebro flumine alluitur; mœnia & turres non contemnendas quamvis vetuſtate ruinoſiores in gyrum prætendit. Moſchéam in centro complectitur ſecto lapide eductam, & præaltis in conum turribus inſignem: cujus authorem fuiſſe eum-

eundem ferunt, qui Capſanam condiderat Proto-Vezirius Solymanni. Undique plumbo integitur, ac totam latè regionem circumſpicit: ipſumque latè ſerraglium Sultani in pomœio elegantiſitum, cum pontibus circumjectis ſpectanda intuentibus exhibet. Superſtitioni Mahometicæ in Moſchéa hac cœnobitæ Turcici per cantum deſerviunt. Fontana navim templi dividit multiplici aquarum derivatione propinans ab ampla, & eleganti concha copioſum flumen, expeditiùs ſiti compeſcendæ, quam ſtultis eluentium peccata perſuaſionibus accomodum.

Quintis Caſtris continuis in Cupribaſſam, Harmandi, Ictimam, Cajali, & Papiſli exactis, decem & octo milliarium intervallo, Philippopolis reviſa: neq; inde niſi ſub quartam decimam Januarij diſceſſum fuit. In Harmandi *Hann* & Moſchéa aſſurgit, ſuperiùs enumeratis inferior, nec tamen aſpectu injucunda. Hic Pappas Cadi ab hoſpite ad cænulam invitatus inuſitato ferculorum genere cultus eſt: Appoſuit is menſæ quod exiſtimaverat pretioſiſſimum, frixa aliquot in butyro ova, ſed frigida; pepones à putredine per infuſum ſinapi ab æſtate in brumam conditos; uvas itidem glacie concretas; placentulam denique inter candentes cineres ſemiaſſam decoquendis,

dis, ut arbitror frigidis repotijs. Raritatem ciborum æſtimare interea placuit, ſed ſalubrius fuit conſuetis procuratis uti.

Philippopolim ſubeuntibus præter occurſum nupero conſimilem ad oſtentationem inſuper, & jactantiam plus mille camelorum ad convehendas murales machinas deſtinatorum, ex compoſito adaquatum ducti, obviarunt. Si incolarum regionis cujusque ingenia, & mores in animalium ibi degentium formas tanquam emblemata tranſeunt: certè abjectiſſimi cæteroquin, & fædiſſimi animantium cameli, ſolâ cervicis & colli elatione ſuperbi, egregium ejus arrogantiæ ſymbolum præſeferunt, quam indigenæ non magis ſuâ fortudine, quàm ex ignaviâ alienâ ſibi hactenus pepererunt. Improviſo caſu perculſi quatuor de comitatu ſub noctem: nam cùm curioſiùs inſpectâ civitate ſeriùs, quàm oportebat domum, & quidem à vino madidiores reverterent; adorti ab ignotis, Chriſtiano haud dubie nomini infenſis, oblongo, ut ex vulnere patuit, cultro horrendum in modum deformati fuerunt. Uni brachium à trunco ferè revulſum, & à ſiniſtro humero ad dextrum cinguli latus tanta inflicta plaga, ut duorum digitorum vulnus hiaret. Dilapſi in abſceſſus ſibi notos facinoroſi ſubduxerunt ſe illicò, &

intem-

intempeſtivæ inter Barbaros fiduciæ fructum, pænamuè inultis reliquere.

Quintis iterum Caſtris Sophia aſpectibus reddita : In Tartarbaſſik perampla aperitur planities inter aſperos ac nivoſos montes, agris quamplurimis diſtincta, quos rivuli interſecant induſtriâ indigenarum deducti, atque aggeribus conſtricti. Orizæ locupletiſſimus hîc proventus eſt; cujus grani, in edulium comparati beneficio totusOriens felix eſt : ab illo ſummi, & imi, domi foriſque, pacis æquè, ac belli tempore, cocto, elixoque, in cibum, ac potum, diebus ſingulis ad feliciſſimam panis cæterarumque dapum æmulationem utuntur. Inde per Sahurambeg, & Ictiman in Ormandli diſceditur, infamem à montibus & præcipitijs aſperis, incultiſque regionem, nunc etiam glacie ac nivibus obſitam, & ad figendos greſſus ipſis quoque jumentis ex lubricitate ſubjacentium lapidum, ac conſtricti gelu propè intractabilem. Amœnior exinde, ut poſt tempeſtatem malacia, à deſerto hoc recedentes Sophia excepit, tenuitque in diem poſterum.

Quinta decimâ poſt hæc die Belgradum apparuit. Primis Caſtris ex Dragman in Scherkoi, metropolim Bulgariæ vocant, profecti deprehenderunt ex frigoris immanitate Arabem

bem itineris ducem cum tæda pinea, nonnulloſque alios, nec non bubalos aliquot dum ſubſiſterent quietem capturi, torpore & ſomno ſopitos in mortem non multò ante obriguiſſe. Hinc in Muſſambaſſam, atq; inde Nizzam digreſſi, illic in centro itineris, in diſtantia æquâ potentiſſimarum gentium, ſi à capite ſuo numerentur, utrinque optimè meritum Joannem Fridericum Metzger legationi à ſecretis, terræ mandarunt. Maluerat æger deportari in patriam quam ſalvus convaleſcere inter extraneos. Optimè ad ineundam æternitatem comparatus in dimidio viæ terminum rebus humanis communem attigit. Appoſitus in Raguſæorum extra oppidum ſepulchreto patriam reperit extra ſolum natale. Alexinkam, & Raſnam; Para Kinum, & Jagodnam; Vatticinam, & Haſſambaſſa-palanckam mutatis ſtationibus permeantes, die alterâ duntaxat â Sophiâ quieti indultâ, deſideratiſſimo Iſtro apud Ikarchich appropinquarunt. Salvere ibi ab omnibus juſſum eſt flumen, quo ſecundo multorum illûc fauſta præſtolantium vota decurrebant, quoque adverſo furſùm omnium deſideria ad priſtinas ſedes anhelabant.

Belgradi appulſos amica proniùs aura, & tenerior conjunctiorum animorum Zephyrus

afflabat: Reduces illìc lætis nutibus, & effuſâ cum humanitate gratulabundi indigenæ conſalutarunt. Millia equitum non ſemel, Janizzari biscentum cum frequentiſſimo populo effuſi obviam occurrerunt. Urbem ſitu, ac opportunitate fluviorum inclytam arx ſupereminet; locata in centro duplici foſſâ ambitur: muri Turcarum ignaviâ, & cæli injurijs ruinas paſſim, & vulnera exhibent, difflandi omninò ſi minorem ęneam fiſtulam applicueris Aqua ſyphonibus in canales provocata deinde in urbem ad vitæ ſuſtentationem, & domeſticos uſus invehitur. Latera ab Occidente *Savus* fluvius protenſus in paludem communit: verſùs Aquilonem Danubius vaſtiſſimè diffuſus defendit, Dravo, Tibiſco, & *Savo* amnibus maximis locupletior. Ad littus eductum ex aqua munimentum ſtat in oppugnationem eorum, qui adverſo conatu in civitatem pugnarent. Cæterùm fluminis amplitudo & fundus triremibus quoque deportandis ſufficit.

Mora octiduo iſthìc tenuit, quam ſolatio rei Chriſtianæ experti ſunt tùm animarum illic Præſides, tùm captivi. Prioribus diploma Sultani ſupra adductum per vicinas regiones evulgandum exhibitum, & communicatum fuit; poſteriorum libertas quà arte, quà pretio ſtudiosè procurata. Viraginem tantùm

non

non primitivæ Eccleſiæ ex illis demirati ſunt omnes: Erat puella formæ minimè vulgaris annorum ferè ſeptendecim: Hæc ad Selebicium Moraviæ cum ſorore matrona nobili, & prolibus hujusbinis capta, quarũ adhuc lactenti immanis Tartarus cervicem ad ſubjugales rotas eliſerat; poſtea in Turciam divendita Baſſa cuipiam in ſervitutem ceſſit. Nihil deerat captæ quod optaret præter Patriam; & ſi modo religionem avitam, ut importunè rogabatur, dereret, etiam abundabat ſupra id, quod optare vellet. Verùm ipſa præ fortunis omnibus ſalutem animæ potiorem æſtimans, & lachrymis, & voce, id unum reponebat: Vitam, non fidem tollite: vivere vitâ Deo inimicâ indecorum mihi, & Chriſtiano nomine indignum credo: reliquis quæ impunè rapuiſtis, animam hanc quoque addite: pectus in tela exſero, cervicem ſubdo acinaci, mortem inter beneficia primam numero: hanc, niſi religioni parcitis, unam à vobis deſidero. Factum interea ut Baſſa, herus captivæ, laqueo ex mandato Magni Vezirij aliâ de causâ tolleretur. Revixiſſe tùm illa ſe ſuæ fidei, & quòd ampliùs lætabatur, ſuperviviſſe periculo, ne, quemadmodum deſtinabatur ad Serraglium Sultani Byzantium auferretur, ſenſit. Omninò autem exempta luctu, quando mille

aureo-

aureorum hæreditatis paternæ redemptione pactâ, exſoluta vinculis fuit: & pariter cum redemptâ in obſequium hujus alterâ, curru proprio per Oratorem deſignato in Auſtriam reducta reſtituebatur conſanguineis.

Duodecimâ Februarij pars potior currüum cum impedimentis alio à nupero itinere Taurunó movit, pars reliqua die poſtero *Savum* trajecit. Quo emenſo pons nongentis jugorum ordinibus protenſus vix horæ ſpatio decurrendus, nonnihil à Danubio recedentibus occurrit. Inde per *Semlingam* Columbinza petebatur. Pagus hic ſub terra totus latet: atque illum ſoli proſtantes camini, de viminibus ſalicis, aut ulmi contexti, ac frumentorum circumjacentes acervi deſignant. Talpas meritò dixeris, quibus cùm melior undique per mundum pateat regio, has ſcrobes & antra, quas vel captivi detrectarent, ſi poſſent, cœcè ignaviterque præeligunt.

In Mittrovich progreſſi latam planitiem offenderunt, quam montibus & arboribus expertem quaquaversùs tridui itinere non emetiaris. Caſtrum hoc munimento non eget: natura loci, quam *Savus* fluvius alternis vicibus, & paludes interfuſæ ſtringunt, alia mæniorum ac vallorum propugnatione facile caret. Prodiêre in occurſum quinque ſigna

 mili-

militaria, & tres equitum turmæ, ſubjunctis totidem de peditatu, quos decem itidem ſigna diſtinguebant. Viris reſpondebant arma, & cultus bellicus; qui quòd promiſcuæ eſſent ætati permixti, fortitudinem quoque ſuam adſcito inſtrumento armorum obvio, quod caſus obtulerat, & tibicinibus, tympaniſque martiale idem, atque inconditum adſtrepentibus atteſtabantur. Binis inſequentibus diebus ſuperadditum itineri Tubornik & Volkavar, caſtrum clivo incumbens, ex quo majoribus machinis hoſpites ſalvere juſſi. Præ foribus ſeu Toparchæ, ſeu conditoris gentilitia viſuntur cum inſcriptione latina: *Arma egregij Domini Stephani Keſſeru de Gathart Vice-Palatini in Regno Vngariæ &c.* Septimis caſtris ab Alba Græca in Oſſek, ſeu Eſſek perventum fuit. Locus eſt foſsâ & muro exiguo cinctus. Vicos omnes propter paluſtrem loci ſitum ſtratos habet truncatis arborum ramis. Caſtrum Dravo fluvio ſupra exiguum aggerem imminet: tres illic machinæ æneæ adſtant, quarum una portentoſior in quatuor orgias extenditur: non fulcris rotarum, ſed arboribus truncatis omnes innituntur. Horologium ligneæ turriculæ ineſt horam monſtrans, ſed minimè cymbalo denuncians, defectu artificis qui turbatum laborem emendet: ex

Neo-

Neo-Serinio allatum ferunt. Pons recens Dravo fluvio, & ſuper adjacentes undique paludes incumbit, ſeſqui horæ ſpatio emetiendus: confinia huic alterius rudera ſunt, quem immortalis memoriæ Nicolaus Comes Serinius flammis abſumpſit; tot generoſæ Virtutis metatus ibidem monimenta, quot etiamnum præuſti paſſim ſtipites ab incendio validiſſimi, & perniciofiſſimi nobis operis ſuperſtant. Hic loci ſacer juxta, ac politicus Legationis comitatus univerſè, ſed ſuâ quivis vocatione dignè exhilaratus fuit. Iſte literis ab Auſtria, nuncijsque; ut quisque optaverat amantiſſimis, ille inſuetâ hactenùs, & minimè expectatâ Matronæ honeſtæ nonnullis oppidanis concomitatæ poſtulatione lætatus: Hęc enim pro ſolatio animarum, & ſtudio religionis deſiderabat è ſacerdotibus unum, qui ſacro Miſſæ Sacrificio locum honoraret, & bearet avidam benedictione hâc ſacrâ multitudinem. Pio voto ſatisfacturus Pater ſacram ædem requirit: Cùm à ductoribus præambulis per viarum ambages ad domum ruſticam capacem cum area adjacente numeroſi populi deducitur. Subeuntis illicò manum, & togam obvij reverenter exoſculantur; tùm arcam omnibus ad Sacrificium peragendum requiſitis inſtructam monſtrant: altare ſedibus invicem ſuper

 im-

impoſitis exſtruunt: candelas, & candelabra apparant: reliqua pro pauperum devotione munda, & convenientiſſima adornant. Tantus mox repente hominum concurſus factus; ut cubile, & atrium multitudini capiendæ nequaquam ſufficeret. Dum divina peragerentur ſuſpiria & ſingultus, voces tunſionibus pectorum interruptæ, & non vulgaria ſanctæ devotionis argumenta frequentabantur. Revixiſſe piæ animæ videbantur ad repræſentationem Myſterij, quod olim fide perceptum, nunc deſuetudine longiſſimâ iniquè ſubtractum, gratiſſimè contemplabantur. Poterat inſtrui ædium ſacrarum alibi magnificentia ab hoc mapali; corrigi raritas populorum ab hac frequentiâ; reſumere ignem frigidus ad divina calor ab hoc æſtu animorum; emendari incuria, ſi non omninò contemptus ab aviditate iſta avitæ pietatis versùs cæleſtia. Sacerdotem cum ſocio, itidem ſacris operato, ab honoratiſſimo cœtu ad comitatum remeantes, tortulâ panis in ſignum gratitudinis oblatâ fideles optimi dimiſerunt. Sacrificio exacto clanculùm, & per vices amantiſſima cœlo turba ſe loco ſubtraxerat: nihilominùs pervigiles in omnia Turcas non latuit. Suſpicio omnia tuta timentem facit. Requiſitus itaque indigena Chriſtianus, quid negotij ad populum Pappas habu-

habuiſſet? Reſpondit hic candidè: familiares ſuos inviſiſſe & contuliſſe cum ijsdem de fidei divinæ myſterijs. Movit caput ad dicta quando aliud non potuitquæſitor impius; nec poſt hæc propè ædem tranſeuntes Patres de ſolario, cui inſidebat alloqui, vel corripere eſt auſus.

Profecti ab Eſſek haud ſatis demirari poterant novi pontis architectonicam, ut ſubitaneam; ita ſingularem prorsùs, & eximiam Soliditatis, & artificij nihil illîc deſideres. Stipites quercini acerrimâ compage invicem commiſſi opus immortale deſignant: nec difficile iſtud creditu; cùm pontis â Comite *Serinio* deſtructi, & proximè adjacentis reliquiæ erui funditùs, neque in ſubſidium novi operis effodi potuiſſe viſi ſint; adeo ſemel terræ inſertæ ſudes communem cum illa firmitatem induunt, & mortuæ arbores cum viventibus certant. Digredientibus â ponte, atque palancâ hujus fronti annexâ cum vallo vimineo, ac foſsâ exiguis, primùm Barnavar, deinde Mohacz in conſuetos plauſus ſe præſentarunt. Conſalutatis in Mohacz, qui occurrerant de populo, atque Eccleſiaſticis Catholicis, quorum ibi jam frequentior numerus, ſed tectus ex metu Turcarum, ut paſſim in hiſce regionibus uſuvenit; dum ex Chriſti, ac proximi charitate diſſimulatis, ut commodiùs omnia

fiant omnibus, externis regularis, privatæque vitæ indicijs animarum ſaluti advigilant. Strenuos in vinea Domini operarios exhilaravit exhibitum diploma Sultani, & immunitas per illud major, à prioribus annis, expeditiorque facultas ſtabiliendæ divinæ legis conceſſa. Inde adusque Calendas Martias Budam applicuêre: interea in Pataſek, Saxan, Paxi, Viduar & Erczin per vices commorati.

Reduces à tribus partibus Buda inter feſtos tormentorum applauſus ſalutavit. Initium terreſtriũ fulminum ex vicino monte caſtrum edidit. Tùm Peſthana Civitas ex adverſo littore Danubij, ac denique ipſa Regia intonuit. Duorum ferè millium equeſtres turmæ gratulatũm ſubmiſſæ, plures peditum; illæ lanceis à ſerico cuſpides ſingularum ſubvolante illuſtribus ornatæ; iſtæ prævio *Thu*, ſeu caudis ſylveſtrium equorum ad oblongas perticas ſuffixis, inter alia gentis labara deductæ, atque ut plurimùm inermes. Amabilior fuit poſtero die conſpectus ab Auſtria Budam adventantium Illuſtriſſimorum Comitum, Jacobi de Leslie Excellentiſſimi Oratoris ex fratre nepotis, Trauttmanstorffii, & Palffij, Colonelli Pomer, Quæſtoris bellici, aliorũque; qui honoris causâ Legatũ reverituri, atque à limine in provinciam officiosè reducturi ſecundo flumine defluxerant.

Quar-

Quarto Nonas Martij cum Prorege Turcico habitum colloquium. Ad illud deductus Orator Cæſareus inter novos hoſpites, qui Viennâ advenerant, reliquùmque comitatum reducem pompâ, & apparatu, qui Vezirio ipſi Sultani ſocero fuit admirationi.

Socerum Sultani diximus. Moris quippe eſt apud eam gentem ut Purpuratis de Repub. bene meritis in teſſeram fidei præſtitæ ac obſequiorum ſororum aliquæ Principis regnantis in conjugium donentur. Neque id eò differtur, dum illæ nubiles ætatem contingant quâ elocari ipſas conveniat. Etiam per infantiam, quartum, quintùmve annum agentes diſtribuuntur. Quando igitur gratiam & ſororem Beglerbego, aut Baſſæ cuipiam præpotentiori concredere in mentem Sultano venit; tùm ab ipſo, vel per Divanum *Hakiſcheriff*, ſeu beneplacitum expeditur; quo conſignanda Princeps decernitur marito nominatim, atque cum exaggeratione meritorum, & favoris Imperatorij expreſſo. Huic exinde incumbit, ut honori, & alimentis, juxta dignitatem perſonæ quam duxit, huic eidem provideat. Proinde ſumptum, atque apparatus in omne tempus competentes ſubminiſtrare debet; tametſi ſponſam, uxoremque nequidem oculis conſpiciat unquam. Adhæc, ſi in uſum quoque

tandem illa Matrimonij cedat; nulla promovendæ potentiæ ſpes à ſimili connubio; nequidem in filios ducitur. Nam ejusmodi thoro progeniti metu ſeditionum lege publicâ inhabiles fiunt ad omnes primi nominis dignitates. Solum munus Kapigi-Baſchiler, id eſt vigiliarum ex parte Præfecti ad portam Sultani quandoque talibus aſſervatur. Cæterùm in dies ſingulos pro ſuſtentatione centum aſpras conſequuntur. Majore cautelâ providetur ne filia Principis regnantis Purpurato cuipiam in thori conſortem cedat, atque ita à ſtirpe regia ſceptrum fortè emoveatur in diſſimile genus à priori. Quò ſpectat & illud, quòd Sultani ea demùm, ac ſola conjunx dicatur, atque pro Regina habeatur, quæ prolem maſculam prima enititur. Ut radicitùs ſequiorem ſexum cum conjugibus à corona omninò excluſos Ottomannicæ leges velle videri debeant. Itaque quam Sultan Ibrahim progenitor regnantis Imperatoris ex Ortaha, Ghenherban dictam ſuſceperat, jam antea quintò matrimonio junctam, honore tamen Virginis etiamnùm condecoratam Vezirius accepit, Occiſo quippe ad S. Gotthardum ſuperiore anno Iſmaële Baſſa, per Haki-Scheriff, hoc eſt beneplacitum Imperatoris fratris; conſignata fuit huic Giurgi Mehemet Vezirio Bu-

denſi

denſt in ſponſam, & conjugem: neque eſt in cujusquam voluntate contraire decreto: ſecùs enim agere capitale cenſetur, reumque facit debitæ obedientiæ, & læſæ majeſtatis; atque huic culpæ pœna infallibilis confiſcatio bonorum omnium, & reſtis mortis prodromus inevitabilis ſuccedit.

Cum Vezirio communicavit Orator Legationis expeditæ momenta ſingula, & pacta utrinque inter Cæſares firmata. Ad hæc tàm ipſe, quàm per internuncios, atque imprimis gratiſſimum aliàs Proregi Simonem à Renningen negotia captivorum, & decreti Imperatorij de Eccleſiaſticorum immunitate, libertateque ſervanda executionem commendavit. Rectè à Tauruno advolaverat nuncius aſſerens in hoc poſtremum tanquam ſcopulum Calogeros proximè impegiſſe. Non enim Turcæ modo, ſed & iſti arrogatâ ſibi in latinos Sacerdotes authoritate pendendis tributis, exactionibusque ab ſe debitis iſtorum, ac reliquorum è Catholicis bona, fortunaſque involabant, & quod inſolentiſſimum prorſus erat, ubi ſolvendo iſti non erant, præter utenſilia, ac ſupellectilē filios quoque filiasque infelicibus eripiebant, divendēdas Turcis, quò ſuæ tributorumque obligationi ſatisfacerent. Rem indigniſſimam Sultanus rationis lumine, atque argumentis permotus

motus per Cadi, ſeu judicem Byzantinum omitti impoſterum juſſit, & juxta tenorem diplomatis ſuprà adducti immunes Latinos à Græcorum æquè, ac Turcarum impijs hiſce exactionibus fecit. Quæſierat nihilominùs per eos ipſos dies, quo mandatum evulgabatur, nodum in ſcirpo aſtutia: corruptoque per tinnitum æris Judice Belgradenſi in procinctu jam erat, ut pro Græcis ferretur ſententia priſtinam auctoritatem in latini nominis fideles retenturis; eò quòd nominatim oppida, & pagi in diplomate non recenſerentur in quibus exemptio dicta procederet. Verùm non profuit vana ludificatio. Expeditus illicò à Catholicis curſor Budam appulit, controverſiam à Gubernatore Europæo, illic Vezirio, definiendam, firmandumque ejus comprobatione decretum captaturus. Opportunè authoritas Oratoris, cui prima apud Sultanum ejuſce cauſæ felix actio debebatur adfuit. Limitata minimè, ſed ubivis locorum extenſa Sultani voluntas contextu decreti ſtatim patuit; atque à Vezirio perſcriptum Belgradenſium judici fuit: nî ferrum, vel funem præoptet è veſtigio ſubmittendum, ut ſervet ad amuſſim diplomatis ſacratiſſimi indultum magno Legato Germanorum Imperatoris communicatum, & manu invicti per Orientem

impe-

imperantis Sultani roboratum, ſibique nunc inſpiciendi gratiâ propoſitum. Extorſit ſine mora timor obedientiam, quam mens, equidem recti conſcia, ſed tamen in contrariũ â muneribus acta impetrare abs ſe vel non volebat, vel non poterat.

Captivos ſexaginta, alijs Conſtantinopoli libertate donatis, adductisque addidit Vezirius, & Oratori Cæſareo pro totidem abhinc eliberatis conſignavit. Fidelem operam Legatio uti Byzantij, ita demùm & Budæ navaverat eximendo vinculis Nicolao Nagy ad inſtantiam Illuſtriſſimi Franciſci Comitis Eſzterhaſii, nec non impetrandâ manumiſſione quorundam aliorum, ac præſertim Ungarorum præterea quinque, ac Germanorum nonnullis qui captivi tenebantur. Proponebatur Byzantij, utquoniam nonniſi lytro ſex illi Vngari redimẽdi eſſe viderentur, minimè verò poſſent eam æris copiam (ſex millia Imperialium petebantur) cogere inter extraneos; dimitteretur ex ijs unus reliquis obſidum vice retentis, qui ſibi ſocijsque inter Chriſtianos de pretio tanto provideat: alioquin ſine fructu, & peculio, ad mortem usque in carcere retinendos. At reſpondebat Præfectus Sultanæ, ſex illos, Budenſis Vezirij conjugi à marito quem antehac habuerat dono obveniſſe: abundare eam divitijs; nullo pecuniario egere ſubſidio:

ſidio: captivis igitur ex uſu ſic vivendum, fore, ut aut lytrum coram pendant, aut tandem in vinculis emoriantur. Spem injecit, Conſtantinopoli actum agentibus, mentio facta Budenſis Vezirij; & credebatur pro ſua auctoritate maritus à nova nupta impetraturus aut gratuitam fortè horum captivorum libertatem, aut ad minus translationem eorundem in carceres Budenſes, quò expeditiùs è vicinia juvari poſſent. Itaque nunc ſolicitatus impensè Vezirius fuit, ut mancipia conjugis evocaret promptiori lytro eliberanda. Juris hoc maritalis omninò eſſe, uti imperet, conſulatuè conjugi, in ijs præſertim, quæ in augmentum fortunarum cederent: At Vezirius ſpem quoque eluſit: ſubridens enim perhumaniter ſubintulit; ſolum ſibi nomen mariti apud Sultanam: imperium autem penes ipſam eſſe; cui obſecundare ſe quoque oporteat. Satis gratiæ, & honoris conſecutum ſe, quòd Sultani, Imperatoriſque ſororem ſibi datam in conjugem habeat, & pro magnificentia ſtatûs eam alere poſſit ac debeat. Ita & Budæ pro captivis illis perdita opera fuit; nec mirum: diſſimile namque erat ingenuum quidpiam animo ſervili perſuadere.

Interea reliquis de comitatu per otium circumſpicere regionem & Urbem licuit. Fuiſſe

iſſe hanc regali ſolio illuſtrem, multa paſſim regiæ magnificentiæ ab ipſis quoque parietinis, ac ruderibus monumenta teſtantur. Magis autem nunc ejusdem deſolationem, & ruinas defleret, ſi ſuperſtes viveret Joannes Vajuoda; quàm cùm vacuam à cæſo Ludovico olim ingreſſus ingemuit. Minùs eam pro celeberrimâ, ac pulcherrimâ Urbium dilaudaret nunc Solymannus; ſi redux ab inferis per ſuorum immanitatem, etiam in ſaxa & parietes deſævientem, atque ideo degenerem à majeſtate priſtina inſpiceret. Urbis reliquias ingredientibus ſepulchrale marmor, rubrum, & elegans occurrit, inſcriptum Fr. Martino Strigonienſi Archiepiſcopo defuncto ſub annũ milleſimum, trecenteſimum, octogeſimum tertium; nùm aliquando ejectum civitate, nùm templo, quòd illic fortè ſteterat, inſitum, nemo divinaverit. Intra fauces portæ, quæ Viennenſis dicitur, immania duo tormenta ænea trunco incubant. Ad forum parte utrâque deducunt confertæ domus, ex ætate, quam præſeferunt, ac proportione elegantes quondam: ſed ruinoſæ nunc, & lateribus, ac tecto hiantes: pro vitreis ad inferendum domo lumen repagulis charta ſufficitur, atque in hujus ſupplementum frequentiùs ſtramen venit. Urbi mediæ S. Georgij ſacra ædes in Moſchéam

verſa

verſa inſidet; ex parte in armamentariū tranſlata. Porticus è lapide cultiſſimo Martyrem præfert, ſed capite ferociter diminutum: Nec Draconi ſubjecto ſtulta ſævities pepercit; niſi malis dicere, in vindictam immanitatis exercitæ in effigiem Martyris proſiluiſſe iſtud in caput noxium ſceleratiſſimi iconoclaſtæ; aut iſtud ab eodem aſſumptum priùs, ut licentiâ magis irrationabili in ſacram Iconem poſtea baccharetur.

In arcem digreſſis utrinque ambitu elegantiſſimo complexa regia, & nitidiſſimi theatrum marmoris albicantibus venulis inſperſum, ac columellis ſuffultum patet. Baſes, & coronidem ornant leones efficti, tigridesque; ſed & arte, & numero ubique potiores corvi, ſtirpis *Corvinæ* gentilitia, ac Beatricis Neapolitanæ monimenta. Conclave regium etjamnùm extat pari ingenio, & arte adornatum, niſi quòd ſegmenta paſſim ſubtracta, atque imminens ſine tabulato impluvium, ſqualentesque circum vaſtitates decorem pertinaciter ſuperſtitem retundant. Ab arce deſcenſus in extimo muro arcuatus ad thermas regias, & ſubmœnianum hortum deducit. Hypogæa, penuaria, ac vivaria; uti & reliquam conclavium ruinam penetrare non licuit: Nihil iſthîc præter telas aranearum, & deforma-

tam

tam exitio pulchritudinem, quod inſpiceretur, ſupereſt. Regia pro divinis officijs ædicula in ſordidi Mahometis antrum ceſſit. Danubium ea pars aulæ, & urbem ſubjectam ſpectat. In atrio regiæ concha aquaria incumbens candido marmori non tàm illi inſiſtit, quam caſum ſpectans inclinat. Circuitus ſeu labium conchæ per gyrum infuſa Auſtriacarum Provinciarum inſignia repræſentat. Rapta haud dubie aliquando hæc fuerit è ſuburbano quopiam non alieni nominis palatio: nunc exilium ſuum inclinato vertice deſignat, & exhauſtis cum aqua lachrymis ſortem, quam vel ſic deflere non poteſt, caſu propinquo deflet. Extra arcem, atque ejus foſſam ampliſſima area Septentrionem versùs procurrit. Triginta ibi aliquot majores machinæ bellicæ numerantur, omnes, ſi loqui poſſent, reddi ſe Dominis, quibus inſcriptæ leguntur poſtulaturæ. Ad Meridiem carcer ſubterraneus viſitur, aptior immanibus belluis, quàm, quibus interdum ſcatet, captivis fidelibus colligendis. Cohortatione ad conſtantiam, Chriſtianamque patientiam erecti infelices, & liberali ſtipe recreati ſunt. Diutiùs impendendo ſolatio inſiſtentes hoſpites maturare, abrumpere, accelerare reditum apparitores, qui aderant, juſsêre: Ipſi captivi, ne productius colloquium

in verbera, & graviora vincula ſibi redundà-ret, greſſum promovère, modò priùs benè precarentur, quà venerant, rogaverunt.

Corvini quoque Bibliothecam inviſere deſiderantibus Prorex annuit. Hujus gloria in millibus voluminum & præſtantiſſimorum Eccleſiæ Orientalis Authorum copiâ ac delectu, ab altero non dum elapſo ſæculo conſtabat. Certabat cùm orbis Chriſtiani, etiam Vaticanæ æmula; cæteris librariorum monumentis. Superi! quantùm â fama degener apparuit! Vix quadringentos codices numerat: atque hos ipſos nullo ullius facultatis Academicæ profectui, aut admodùm exiguo, ſi compararentur, futuros! Hos eoſdem tineæ, ac pulveres exedunt, vaſtant mures, & arrodunt, & depaſcitur vecors incuria: nunquam videlicet apud Barbaros, & inter rudes pretium eruditioni fuit; non ſecus ac Minervæ apud Anticyras.

Alia pronæ benevolentiæ in Cæſareum Oratorem â Vezirio Budenſi explicata ſigna non abierunt ab ijs, quæ â Proto-Vezirio ac Purpuratis paſſim impenſa alibi acceperat. Ex multis equeſtre certamen honori Excellentiſſimi Legati, quale Adrianopoli nuper repræſentabatur, iterum Budæ ſpectatum fuit. Demùm redditis pro humanitate gratijs poſt tre-

decim

tredecim dies itineris ſuſpenſi quartâ decimâ menſis Martij inter adſonantes totâ leucâ tibias & tympana Turcarum; prævio ducentorum equitatu in Veruwar verſa legatio fuit, & poſtero die *Strigonium* aſſecuta. Begus loci nihil honorandis hoſpitibus paſſus deeſſe, ipſe loricâ inſignis cum quingentis equitibus, & binis peditum turmis, à viribus usquequaque, & armis expeditiſſimis obviam proceſſit. Tùm ex caſtri propugnaculis ea amicitiæ ſigna edita, quæ in complexu domeſticarum ditionum abundè ſuffeciſſent.

Strigonium nonniſi Trojam exhibet, & Chriſtianorum collapſa pergama. A quadrageſimo tertio ſuperioris ſæculi, quo *Solymannus* locum ceperat, à buſto reſpiravit nihil. Præſidium arci ab ædificijs, & munimentorum, quæ validiſſima Chriſtiani collocaverant curâ nullum. *Sedes Archiepiſcopalis* mapale nunc eſt, & â ſacerrimis exitio hominibus ſpelæum infame. Odeum S. Adalberti Mahometis cultui deſervit; adhuc tamen unam de pariete jconem Annunciatæ Virginis Matris retinet illibatam à furore, qui reliqua omnia peſſumdedit. Extimulavit impenſiùs animi dolorem ſpectaculum triſte; cùm ab urbe non procul in loco pervio, & foſsâ ſubjacente plus mille Chriſtianorum capita in acervum

congeſta proſpicerentur tabo etiamnum manantia & ludibrium feris, avibusque à nupera ad Barckan ſtrage relicta. Quamvis nec indecorè etiam nunc haberent, ſi equidem in pugna obijſſent. At infeliciter capti ignavâ cæde inter carnificum manus, inermes, & inulti periêrunt. Accubabat intrà tentorium belli momento confecti *Præſes*, & è captivis nunc hos, nunc illos in victimam depoſcens ludebat in ſanguine innocentium, & pro libitu atque ingluvie in morem feræ belluæ ſaturitatem faſtidio explebat. Arridere poſthæc nihil iſthic potuit: placuit tamen illud naturæ prodigium ad radicem caſtri oſtenſum; quòd hyeme quamvis perfrigidâ, & glaciali rupes horrida aquam uberem, & ab illa tanquam à vivario piſcium vim, & delectum profundat; inſuper & ranas alat, quæ hoc ipſo tempore vivaciſſimè coaxabant, ac poſteræ diei ſerenitatem ſecuturam, ut vulgò placet, ominabantur. Triduum Strigonio datum fuit, inde decimâ nonâ in Nemeth, ac vigeſimâ in optatum portum, limitemque legationis commutandæ perventum.

Nec defuit hoc quoque in portu difficultas, atque iſto in limine offendiculum. Baſſa, Legatus Turcicus, Viennâ redux privatis ampliùs lucris, quàm ſtudijs publicis intentus,

neſcio quam penſionem etiamnum exigens, Comaromij hærebat; non digreſſurus loco, niſi poſtulati compos evaderet. Intenſiſſimum, ſi quod antea frigus jam appulſos in campum cum Oratore Cæſareo ab octava matutina in veſperum, atque etiam impranſos acriter exercebat. Quingenti qui deduxerant Strigonio equites, ignari quo loco nodus hæreret attoniti, incertique circumſpiciebant omnia. Vaſta planities non ligna in focum, non in ventum ac gelu præſidia ulla conferebat. Sola corporum agitatio, & motus jumentis, hominibusque pro perfugio erant adverſus immaniter deſævientem brumam. Procurrebant ultrò, citroque internuncij, nec proficiebant quidquam. Patuit tandem obex, & evulgatum palàm, non acquieſcere Ablegatum Turcicum, eò quod in penſionem conſuetā aliqua deeſſe viderentur, pecunijs & argento complenda; quæ alijs impenſis in materia & rebus traditis ſuppleta ex toto ſciebantur. Indignatione cum meritiſſimâ acceptum eſt nuncium, præſertim ab Excellentiſſimo Oratore, qui totius, ac longiſſimi itineris decurſu ne quidem de ſimili cauſa ſcrupulum moviſſet, ſemperque ampliùs ſui Cæſaris dignitati, ac gloriæ, uti & bono publico, quàm domeſtico lucro ſtuduerat curam impendere.

 Ita-

Itaque quòd cum homine ruſtico ſe negotium habere, & actum agere cerneret; toto cum comitatu Budam regredi conſtituit; Iamque verſo carpento, & profectionis ſigno edito relegebat viam, ignobilis & avari hominis temeritatem, redundantem in Portæ dedecus, Vezirio coram ipſe expoſiturus.

Verùm major honoris publici cura, ac Sultani ſui reverentia tenuit binos à Porta delegatos Legationis Cæſareæ comites, Alli-Baſſam Quinque-Eccleſienſem, & Begum Strigonienſem. Urgentiſſimis precibus cœpto curſui remoram injecêrunt: polliciti per internuncium conniſuros ſeſe, ut abitum Ablegatus quantocyùs acceleret: nì faciat ſuis ipſi manibus hominem Comaromio extracturos. Nec diſtulit ille revocantibus obſequi; atque ſub veſperum navibus dono inſuper oblatis defluxit: Neque tamen à prætoria priùs exſcendit, quàm diſpulſæ à vento aliquantùm naves recolligerentur, ac præcederent, ſtulto metu veritus, ne in vindictam cunctationis & inſolentiæ factâ exſcenſione retinerentur, ipſeque muneris fructu impoſterum careret. Mox uterque Legatorum pari paſſu, & momentis ille navi, hic carpento exſcendit: ac ſimul, obſervatis quæ nuper intervenerant cæremonijs, ad conſtitutas arbores commutatio facta eſt:

Cæ-

Cæſare ac Sultano utrinque amicabiliùs, quàm utriuſque Legatis nunc invicem reſpicientibus.

Dimiſſo Comaromio, quod conſuetâ cum aggratulatione applaudebat, ſera nox adventantes pago intulit, qui tributo Turcico obnoxius cùm eſſet, forti manu equitum ad agendas excubias evocatorum tutari debuit. Inde poſtero die ſub meridiem Jaurinum charos hoſpites excepit. Omnium aggratulationum primas obtinuit Archiſtratêgus Cæſareæ militiæ Raimundus Comes de Montecucolli, qui Oratori Cæſareo, *Affini* ſuo, longiùs à præſidio occurrerat, atque inter militares plauſus Ungaricæ, Germanæque virtutis undique, ac ſæpiùs repetitos primùm ad ædem ſacram Collegij Societatis Jᴇsᴜ, gratias pro emenſo periculoſiſſimo itinere acturum, atque hinc in arcem ad feſta ejus diei hilaria deduxit. Nec dimiſſa fuit die poſtero lætitia publica, & ad aras gratiarum actio repetita. Nam quòd Jaurini primùm à diſceſſu templum Catholicum nacti nunc eſſent, in quo liberè ac ſplendidiùs curare divina poſſent, ibidem mane altero ad tubas, & tympana, & ſelectam muſicam cum divino cultu, hymnum Ambroſianum decantari fecerunt.

Tertijs caſtris Jaurino, per Ovarinum, & Pruck ad Laytam in proximum

ad Viennam oppidum Swehet promotum iter eſt. Diem unam hic tenuit Orator, dum aptarentur univerſa, quæ ſubituris metropolim Auſtriæ Viennam, auſpicatiſſimum legationis decurſæ terminum decori, & commendationi ſingulorum futura exiſtimabantur.

Sexto demùm Calendas Aprilis Urbem, Aulamque Cæſaream cum apparatu & pompa lectiſſima ſubijt Excellentiſſimus Legatus: ubi Auguſtiſſimam Majeſtatem reveritus, dimiſſo poſtea inter gratias obſequiosè actas comitatu, ad ædes proprias ſtipatus corona confertiſſimæ nobilitatis revertit.

F I N I S.

A01147458

LVI
C
22

BIBL
Vit
I